LVIII
D
46.

BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
LVIII
D
46
NAPOLI

P. IOANNIS BAPTISTAE VRSI NEAPOLITANI E SOCIETATE IESV INSCRIPTIONES.





NICOLAVS BERZETTVS
Societatis Ieſu Prouincialis in Regno
Neapolitano.

CVm Inſcriptiones Patris Io. Baptiſtæ Vrſi eiuſdem Societatis, tres noſtræ Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, atque in lucem edi poſſe probauerint: auctoritate nobis data ab Adm.R.P. noſtro Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ita videbitur ijs, ad quos approbatio librorum ſpectat. In cuius rei fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo Societatis noſtræ munitas dedimus. Neapoli Die 12. Menſis Nouembris 1642.

Nicolaus Berzettus.

Al R. P. Maeſtro Roſſi, che lo riueda, e riferiſca.

Gregorio Piccirillo Vic. Gen.

Imprimi poſſunt, ſi videbitur Reuerendiſs. D. Vicario Generali.

Fr. Ioſeph de Rubeis Ord. Min. Conu. S. Franciſci. S.T.D. Eminentiſsimi D. Cardinalis Philamarini Theologus.

Imprimatur: *Gregorius Peccerillus Vic. Gen.*

Illuſtriſsimo, & Eccellentiſsimo Signore

Gio. Domenico Montanaro eſpone à V: E. come deſidera ſtampare l'Opera del quond. R. P. Gio. Battiſta d'Vrſo Gieſuita, intitolata Epitaphia, & Elogia, &c. Per tanto ſupplica V. E. commettere la reuiſione di quella à chi meglio reſtarà ſeruita ciò ordinare. e l'hauerà à gratia, vt Deus, &c.

Magnif. V. I. D. Io. Iacobus Anichinus videat & referat.

Zuſia Reg.

Illuſtriſsime, & Excellentiſsime Princeps.

LEgi ex decreto Supremi Senatus Buſtuaria, Parentalia, Monumenta, Dedicationeſque omnes, quas edidiſſe hoc libro teſtatus eſt Inſignis olim Elogiographus P. Ioan. Baptiſta Vrſus è Societate Ieſu, opus me Iudice elaboratum, Multiuga eruditione refertum, noſtris non ſolum vtile, ſed exteris iucundum, cumque ſcriptis Lucina faueat, muſarum Chorus arrideat, & vniuerſa literatorum Curia aſſurgat, & veneretur, quinimmò complementum bonarum artium attingat, nec Regiam lædat iuriſdictionem, digniſſimum cenſeo, vt typis edatur, & publicetur ſub immortalibus auſpicijs Excellentiæ tuæ, quam nobis, & bono publico Deus ſemper ſeruet incolumem, & præſidentem. Ex ædibus noſtris Neap. Kal. Martij 1643.

Excellentiæ tuæ

Seruus Deditiſsimus

Io. Iacobus Anichinus.

Vidit D. Ferdinandus Arias de Meſa Reg. Conſiliarius, Delegatus per Suam Excellentiam pro reuiſione librorum.

Imprimatur ſtante ſupradicta Relatione.

Tapia Reg. Brancia Reg. Zuſia Reg. Caſanate Reg. Sanfelicius Reg. Aſcon. Reg. Capic. Latro Reg.

Excellentiſsimo Principi

D. EMMANVELI

DE FONZECA, ET ZVNICA

MONTIS REGII, ET FONTIVM COMITI,
CATHOLICAE MAIESTATIS CVBICVLARIO,
Status, Belliqueque Conſiliario,

SVPREMI ITALIAE SENATVS PRAESIDI, &c.
DOMINO SVO.

D. ANTONIVS VRSVS S.

EN tuo tandem liber hic prodit auſpicio, qui tuo creuit imperio; non denegabis auram fauoris tui, qui ſtimulum ſcribenti ſubdidiſti, monumenta ex his complura te iubente, cum Neapolitani huius Regni habenas moderareris, ab Vrſo patruo meo ſunt elucubrata; ea nunc iure tuum ſibi vendicant patrocinium,cuius imperio magis, quam Authoris ingenio ſunt obſecuta. Inſcriptiones in hoc Regno plures, in hac Vrbe plurimas, Buſtuaria etiam nonnulla in tuo illo, quod tam ample, magnificeq; exornaſti Hiſpaniæ ſacello, pulcherrimos, tanquam ingenij fœtus non tàm ad Iouis fulmina(vt de Cerua referunt) quàm ad tua olim iuſſa Vrſus hic edidit, quæ vel ſqualidas inter mortis tabes, ac præcipites æui collabentis ruinas ſperant ſe perpetuo victura, ſi tui, vel illuſtrentur ſplendore nominis, vel patrocinij vmbra foueantur. Hauriet ſcilicet Vrſus te duce, teq; auſpice vitam è cineribus ſuis, qui te impellente ſpiritum halitauit alienis. exiguum eſt fateor ingentis viri, atque amplioris ingenij monumentum; ſed illuſtre, ac magnificum ſatis, quod nomini conſignatum tuo. eſt in eo, quod ex vngue Vrſum magis, quam Leonem dijudices, & maiorem,ac fortaſſe potiſſimam Vrſi partem in Vrſo deſideres, ſtylum præfert non gran-

grandiori murmure ſonantem, non multiplici nexu plicatilem non longioribus mæandris circumductum, ſed candore nitidum, breuitate comptum, acumine faſtigiatum. hæc enim ille qua per anguſtè referſit, Viatorum oculis non multum immorantibus, magis, quam Lectorum auribus amplius neſcio quid deſiderantibus exhibuit; ea tamen adeo eleganter coarctauit, vt abirent ſtatim, qui legerent, ſed quæ legerant non abirent. quid? quod ex compoſito Author preſſiorem hunc ſtylum adamauit, quò pretioſior foret (vt olim de vnionibus dixerat Plinius) contracta in anguſtum Maieſtas. didicerat ſanè plures eſſe Muſas, ſed Gratias tantum tres, & ideo fortaſſe gratas; ac magnum neſcio quid ineſſe breuitati, quod expleat; ieiunitati, quod ſatiet. Age igitur tuũ hoc viri tibi olim addictiſſimi monumentum, atque obſequij vnà pignus mei peramanter excipe, ac dum militarem colligis puluerem, hos ex interuallo verſa cineres, Martemq. ſimul, Mortemq; meditare immortali ſemper nominis fama. Vale.

FR. MARTINI DE LEON. & Cardenas Epiſcopi Puteolani de Io. Baptiſta Vrſio Elogium.

Aude Fama ad Vrſi ſplendorem non ad **Vrſæ Sydus**
Immortalitati velificare.
Stellas dedignare, dum ſtelas ſuſpicis.
Nobilior Neapolis exiſtit Vrſo, quam Roma Lupa,
Hæc Conditorem è Tiberino vindicauit fluctu,
Ille Conditos vrna
E Lethæa reuocauit vnda.
Quid mirum?
Omen præferebat è Syderea Vrſa
Vndis mergi metuente;
Bootem ſe geſſit, ſed immortalitatis aurigam;
Nominis obliuionem dilapidauit,
Vbi lapides ad gloriam vocales reddidit
Verus in orbe Deucalion.
Qui non lapidum iactu, ſed ſtatione
Caducum reparat Mortalium nomen,
Olli Pallas adeſt, ſi Pyrrha deeſt.
Quid, ni ſapientiæ præſideat,
Si lapides literatos facit?
Age conſepulta Neapolis
Vel inter lapideas Vrſi tabulas
Nullum nomini naufragium time.

D.An-

D. ANTONII SVARES MESSIA Marchionis vici Tumuli in laudem Auctoris.

Hic ne me quære, Hoſpes, vbi ſum?
Sat ibi quiſquis eſt, vbi ſuperſtes ſui.
Magnatum euolue cineres
Inter buſta Regum naenias
Et cecini, & cecidi:
Caue penitius,
Sui cuſtos latet Vrſus.
An. ætat LXX.
Interim extincto flete Præcone
Philodoxi.

Alius.

Hoſpes abi,
Cuncta ſilent ſub cinere,
Pennam rapuit Fama,
Fata vocem;
Vbi ſim, qui fuerim
Obſerato referant ore ſepulchra,
Heroum ibi laus, laus mea eſt.
Quid ni ſileo?
Sat me ſaxa dicent, & ſilentes
Abi.
An. &c.

De

DE IO. BAPTISTA VRSIO
Franciſci Blanditij Epigramma.

Ne totum me crede Hoſpes perijſſe:ſuperſtes
Viuit adhuc nunquam pars obitura mei.,
Illa equidem ſaxis inciſa,perennior æuo,
Se docet æternis ſolibus ire parem.
Nil vltra: hoc vnum complectitur omnia carmen,
Vrſus eram,Phænix nunc rediuiuus:abi.

Eiuſdem Tumulus.

Io. Baptiſtæ Vrſio
Memoriæ Vindici
Præclaris geſtis,nominibuſq;
Ab lethali obliuionis tabe
Splendide liberatis
Poſteritas Grata.

IN LAVDEM AVCTORIS
Incertorum Epigrammata.

Dulce canis, licet horrendum fremat auribus Vrſus,
Me licet exanimes nomine, dulce canis,
Te pater albentem ſenio Sebethus olorem
Credidit, vt tenerum ſenſit ab ore melos.
At tuus odit auem Ledæ, nam damnat amores,
Mellaq; virgineæ paſcitur Vrſus apis,
Fas odiſſe etiam, dum mergitur æquore Cycnus,
Nam tibi inoccidŭo naſceris Vrſe polo.

Aliud.

Quæ ſe cumque polo gelidam propè colligit Vrſam,
Numquam ſtella vago mergitur oceano.
Docta tuo quæcumque volumine vertitur Vrſa,
Nunquam Lethæo mergitur interitu.

Aliud.

Nocte duas aperit Cælum fulgentius Vrſas,
Vna minor radijs, altera maior ineſt.
Vtraq; ſed tantum ſupero fulgeſcit in axe
Subdita, nec lapſa carbaſa luce rigat,
Vrſę tuos gemino diffundis in axe nitores,
Et regis Arctoos, & regis Antipodas.

Aliud.

Vrſe quid in lapides tantum te Pallas adegit,
Mollia ſi miti pectore corda geris?
Forſitan, vt duræ frangas obliuia Lethes?
Firmet, & erectus ſigna caduca lapis?

An

An potius marmor findas velut Annibal Alpes,
Quò properes victam pronus in inuidiam.
Neſtoris,ah video,profers dum dulcia linguæ
Inſtar, & effingis cerea ſaxa notis
Vrſe refer dixit, ſacri miracula ſaxi,
Nec ſemel;æternum mellea dona dabis.

Aliud.

Iſmarus auritas deduxit ſaxa per oras
Dulcia vocalis fila ſequuta chelys.
Vrſus ſaxa loqui dederat per compita,marmor
Dum docet inſculpto carmine molle vias.
Quid maius,num ſaxa loqui,vel ſaxa moueri?
Iudice me,ſileas Ismare,pone chelyn.

Aliud.

Hic ſilet elinguis,ſaxis qui munera linguæ
Indidit inſuetas orbe ſtupente notas,
Fama tuas animare tubas,ne tende ſonoras,
Audin,vt pro Vrſo ſaxa animata ſonant?



Auctoris Tumulus.

Abeſte Siticines,
Procul eſte lacrymæ;
Sacer Deo Vates
Viuit,& canit hic;
Caniturq; viuus, & volitans per ora virùm
Ioannes Baptiſta Vrſius.
Auditis. an me ludit amabilis
Imago vocis? Cycnus eſt.
Qui
Parthenopæos inter Alites
Sublimiori niſus ingenio,
Albo verendus ſenio,
Lacteo purus eloquio,
Execratus amores Ledæ,
Eo dulcior,quo proprior letho
Sebetha propter flumina
Modulamina dixit:
Cuius animante voce
Saxea Deo Monumenta ſurgunt,
Supplicat Dedicatio,
Elogia canunt,Trophæa plaudunt,
Buſtuaria viuunt:
Viuentq:
Quo loquatur vſque
Plauſtrum inuecta gentilis Vrſæ,
Interitura nunquam
Lethæis ſub vndis
Vrſij Fama.

Ty-

TYPOGRAPHVS LECTORI

SPECTATVM venerat typos paucis ante diebus, quam hoc opus abſoluerem, Patritius vir; quem longè antè omnes fideliſſimum ſemper habuit Auctor in viuis; Hic ad multam diem, & per quam oculatè rimatus omnia bone Deus tandem exclamat, quæ congeries? quis ordo? quæ inſcriptio? quantum, & quale chaos? vbi leges? vbi præcepta? partitiones vbi? tituli? notæ? anima? mens Auctoris? ergo nè tam varia, tam culta argumenti ſeges felici ſydere edita, venuſtioris ingenij ſole adulta, limatiſſima Vrſij falce demeſſa vno ſub Inſcriptionum nomine quaſi ſordido collecta aceruo Mineruæ in area aggeritur ad trituram? heù quam malè conſultum eſt ſemper operi poſthumo! quam malè parenti! vere & Vrſius meus bis natus occidit, bis denatus effertur; mortalitatem exuit ſatus inter cineres, immortalitatem nominis ſitus inter viuos; vtrobique ſemper artis nequitia, vel naturæ illacrymandus (proh dolor) vt buſtuarius ſibi pater, & tumulus. ad quem ego, quì gemis? quæ fruſtra quereris apud me? bono animo ſis, titulum ſortitus eſt liber, quem indigitauit, & Parens. Noſtra hæc (habet Auctor in dedicatione operis) ſunt vno ſub Inſcriptionum nomine nuncupata. minimè verò, excipit ille; appoſita, ſuppoſita iſthæc, ſicut & cætera quæ Typus habet, Archetypa non probant. neque Vrſius vnquam agnoſcet ſua. Qui diu, multumq; ſollicitus de titulo ſæpè conſuluit Græciæ fontes, ſæpè Latinos; tandem damnatis omnibus; vt mutilis, vt vulgaribus, abundè ſatis, inquit, datum ſit titulis, benè ſit mihi. ecquis Hercules, quis Gordius exiſtat, qui tam varia, tam longè fluentia rerum capita ſacra, profana; bella, paces; thalamos, tumulos; præficas nænias; fontes, ignes; excidia, & pæanas in vnum colligat nodum? ego vero Alexandro felicius, vel meam mihi implebo ſortem, vel eludam. noſtra nihil intereſt vlterius luctari cum latentibus nodis; non opus eſt operi meo vnius dumtaxat nomenclaturæ: tot habebit titulos è rè natos in frontè, quot in partes ſectum habet in corpore. hactenus Auctor. tum ille, quid hæres? quid animi pendes? commenta putas, an verba? ſed amabo te cedo mihi exemplaria. quibus in medium datis. at quæ tua, inquit, negligentia hæc, quis error Typographe? vt prælo committeres, quæ temere poſita, aut turbata caſu iacent hic? diſſuti libelli, folia mutata, incompoſitæ paginæ, quin & ipſa ſeries numerorum duplex, & anceps eſt; quarum prima ab Auctore confecta rectiſſimum nobis oſtendit iter; altera à neſcio quo ſuffecta quam ſiniſtra incedit via? Hæc hæc erroris origo tui, hoc fonte deriuata rerum omnium confuſio eſt; nam tu per ſummam incuriam ſecutus obliqua totum opus intetimis, dum paris in lucem. verum hæc

inter videſis (quæ paululum ante dicebam) in quot volumina partitus ſit liber? quibus & titulis illuſtretur? conſtat hiſtoria? conſtat res? cautè in tabulario hæc ſeruato, vt ſi quando Immortales Hominum Animi tanti operis hæredes in ius paternæ veritatis venerint, ſuum cuiq; reſtituas vltro tanquam bonæ fidei poſſeſſor. Interea conſulatur auctori, proſpiciatur, & rebus tuis; quæque vt facias ſuauiter impero; amanter volo: tranſmitte igitur ad Poſteros, quæ fideliter accipis, operiſq; in fronte præmitte Indicem rerum, quem mox feſtinato conſcribſi, vt ſaltem hic methodus aliqua detur, & ordo, & mens Auctoris, ſi minus leges, & præcepta; quæ deleta partim, vt vides, partim ſuppreſſa deſiderantur omnia; quaſi vero naturæ vitio, non artis factum fuerit, vt tam cultus, tam elegans ingenij fætus, cum primum acciperet lucem, enaſceretur Embryo, quem poſtea induſtria mater, & artifex lineamentis fingeret, membratim effingeret motu, ac mente animaret ſua, tanque informe Vrſi patris rudimentum. Exoratus hic ſiluit Patritius, ego vero, ne tecum illiberaliter agerem, imperata feci, vt ſequens docebit Index, & Correctio. Vale.

INDEX.

Siuè ordo totius operis

Iuxta mentem, vel exemplar Auctoris:

VNiuerſi operis argumenta, quæ tot annos arte mira, plurimo labore, ac ſtudio varios in libellos digeſſerat Auctor; eadem rurſus cum vocare ad limam, atque in vnum colligere corpus, quaſi in nodum non potuiſſet acerba nobis ſemper morte præuentus; ſic inuerſa, ſic turbata, ſuſq; deque poſita iacent hic; vt per ſummã Auctoris iniuriam Dedicationes Elogijs, Elogia Monumentis, his Trophæa, Buſtuaria illis, primis vltima, vtraque medijs, et ficta, et uera, et ſacra, et profana, omnia omn bus intermiſta non ſine lacrymis videantur, vndè niſi cultus elegans, Auctoriſq; ſtylus obſtaret nitidiſſimus, verè natum ab Vrſo diceres opus iuxta illud.

Naſc.tur (heu monſtrum) rudis, indigeſtaq; moles
Vrſus, ab informi agnoſco ego mole Patrem.

Quàmobrem ne tanti operis pretioſam iacturam faciat Poſteritas, dùm per temporis anguſtias licet, tumultuarium hunc feſtino Induem, quo partes operi, et methodum; partibus titulos, ordinem libris, Auctorem Auctori ſic reſtituo.

Inſcriptionum titulum, qua typ:s ed tus eſt, improbare non audeo, quà ſuum non agnoſcit parentem, probare vt ſpurium nolo: ſed impræſentiarum illum admittere, vt cumq; obuium, et vulgarem, tanquam non alienum puto. Iuſcriptio enim commune nomen, et genus alios, atque alios ſubinde titulos inferre poteſt, eoſq; ſubse collectim habere veluti ſpecies; quibus inſignita nominibus, quæ uarijs i n libris diſcreta pateant, totum opus illuſtret. verum ſi denuo cudendus liber eſſet, operiq; reſignandus titulus (quod ſummopere in notis multorum eſt), tùm ex mente, tùm ex partitionibus Auctoris aptior certè, propriorque, ut è rè natus iſte foret.

P. IOANNIS BAPTISTAE VRSII
NEAPOLITANI
E SOCIETATE IESV
DEDICATIONES,
MONVMENTA,
ELOGIA, VEL TROPHAEA,
ET BVSTVARIA.

Quibus

Quibusinſcriptus titulis liber; tāquam proprio donatus aſpectu illicò nobis aperit os, habitumque totius corporis. vndè, & diuiſio partium, & membrorum diſpoſitio,& ſitus, & ordo;nec non abdita Auctoris intelligentia,veluti in fronte explicata clariſſimè ob oculos ponitur quæq; omnia, quā propria, quàm apta huic operi veniant,quamuè conſentanea rationi ſint,ex ea perſpicies ſect one, quàm totum corpus habet in partes quatuor. enimuerò, vel ſingula rerum argumenta,& certa ſpeciès,quæ ſub hoc, vt ità dicam quadrinomine continetur, alio non refertur, quàm ad cultum,& pietatem erga Deum, & Homines; & hoc vno fungitur munere Dedicatio. vel affixa parietibus, vel cum aliquo ornatu in ſolo excitata Poſteros monet al cuius facinoris, & hoc propriè dicitur Monumentum. vel geſta Sanctorum, aut Heroum ſtrictis laudibus effert, & hoc præſtat Elogium, vel Trophæum. vel æterno perennat in marmore, notiſq; commendat publicis dignos immortal tate Viros æuo defunctos ſuo, & hæc Buſtuaria faciunt. ex his igitur totum opus in quatuor volumina partitur,& libros; quorum.

Primus Dedicationes appellatur,quibus termaximò Deo, magnæ Deiparæ Cæli,terræque ſanctiſſimis Incolis, & Ciuibus tēpla,ædes,aras,tabellas, ſtatuas,picturas,fornices,obelicos, columnas, pyramides, arma victricia, veſtimenta,annonas,vectigalia,grat arum actiones,vota, preces,ſuppicationes obſequia, fauſtos,feſtoſq; dies addicimus, ſtatuimus, aut vouemus. His annectit Auctor dedicationes apparatus,ſimulacra, currus, arcus, moles triumphales, ac nuptiales pompas, & ludos, quibus excipiuntur in plateis, templis, publicis aulis, & theatris Viri ſummi, Rectores Vrbium,Sponſæ, ſacri Flamines, purpurei Patres, vel Principum, & Regum cohoneſtantur, aduentus.

Argumentum huius libri à fol.25.Salmanticæ (vndè initium operis petendum eſt) aduſque finem fol.76.ſelectis nonnullis monumentis alio ponendis latè extenditur. Intèr hæc dedicationes verè ſunt,quæ fol.25. Salmanticæ vſque fi em fol.28.& à medio fol.29.Neapoli vſque medium fol 30. Caietæ,& à fol.31.vſque medium,fol.33,Stabijs.& fol.34.& à fol.36.vſq; medium fol.39.Leucopetræ.& à fol.40.uſq; finem f.76. perpetuo leguntur.

Poſt hac commo ius loca, quę tanquàm minus illuſtria à medio fol. 18. Sub ſtatua ad med um vſque fol. 19. In apparatu conſulto prætermiſi. His addè, quæ à fol 20.SS. Ignatij vſque finem fol.21.& à fol.23. Sub tabula vſque finem,fol.24.& quæ fol.88.Petrus, & 122. Vectigal. inuenies. ſed antè hac in fol. 48. locanda ſunt quæ caſu oblita, vel neglecta quaſi nullius ponderis hic ſubycio,quæ n ſi fallar egregie, quo preſſa magis, & breuia;eo videntur eſſe arguta magis, & uenuſta; hac Euchariſticas inter ſupplicationes recenſet Auctor in exemplari,cuius verba ſunt; At verò in re vulgata, &

celebri,

celebri, non tam opus narratione, quàm preſſa, & arguta, & ad id, quo refertur congrua rei ſignificatione, cuius generis illa ſunt, quę ex ſacris literis depromta, in pauca contraximus in ſolenni ſupplicatione diuiniſſimi Sacramenti, vt.

Sub tabula Conuiuij Holofernis.

Incende vino Venerem Holofernes, illo te vino
Sopitum non inceſta Venus obtruncat.

Sub tabula conuiuij Aſſueri.

Incaluit Aſſuerus, iura Bacchus, Venuſq; dabunt,
Ilicet excede Regno Vaſthi, ſi cordi verecundia eſt.

Sub tabula Conuiuij Philiſthaeorum

Ruit alto ab culmine domus Sampſonis labefacta manu,
At vos ne illudite capto, acuit deſperatio vires.

Sub tabula Conuiuij Eſther.

Regum dignatus menſa geſtit Aman, ò rerum viciſſitudo;
Menſa eadem gradus eſt ad patibulum.

Sub tabula Conuiuij Balthaſaris.

Temerare ſacra vaſa auſus Balthaſar Cœlo vindice
Plectitur, diſcitq; non omnia licere Regibus.

Secundus liber Monumenta dicitur, qui bifariam ſectus in vera nimirum, & in ficta memorias habet eorũ, qua in honorẽ, uel execrationẽ geſtorũ operũ excitantur in portis Vrbium, publicis uijs, gymnasijs, fontibus, pontibus, inſulis, turribus, foſſis, ſacris ædibus, ſtatuis, arcubus, tabulis, nummis Regijs, & Muſais. In his cauendum maximè, vt docet Auctor, nè in Elogium liberè excurras, dandaq; opera eſt, vt non commendare, ſed tradere Auctorem pręclari operis, & publici Poſteris videaris; nec quaſita laus, ſed producta explicatius narratio ſit.

Argumenta libri huius uera ſumunt initium à fol. 3. uſq; medium fol. 14. In faucibus; et à fol. 17. In tabula uſque medium fol. 18. ſub ſtatua. et à f. 19.

In

In apparatu vſq; medium fol. 20. SS. Ignatij, & à fol. 77. Neapoli ad finem vſq: fol. 87. & à fol. 89. vſq; finem 121. & à fol. 123. vſq; finem fol. 130. inter hæc loca fol. 22. Interpetratio 29. Auerſæ. 30. Caietæ 33. Stabijs 35. Bouini, & 39. Leucopetræ. Ficta verò incipiunt à f. 14. in faucibus, vſq; finem fo. 16.

Tertius Liber Elogia, vel Trophæa nuncupatur, quo ſub titulo continentur illuſtria tùm Sanctorum, et Martyrum geſta, Cacodæmones victi, Lucifugi, Tenebriones, et Lemures fugati, Idola, eorumque templa, et aræ diruta, et confractæ, ſpreti Cæſares, ſacri congreſſus, victrices palmæ, hymni, laureæ, ſerta, et triumphi. tum Principum Virorum, et fæminarum, Regum, et Pontificum, rectè facta, dicta benè, iura, ſtatuta, leges, uel Heroum, et Ducũ facinora, bella, nauales pugnæ, arma victricia, lauri, curſus, acclamationes, ſalutationes, laudes, et pæanes; In Trophæis, uerò nulli dubium eſt, ut monet Auctor, quin ea breuitas requiratur, in qua neq; uerbũ, neq; ſentẽtia ſit ulla ſuperuacanea: ceterũ, quia in his res præclarè geſtæ, gẽtis honos, robur animi, magiſtratus, dignitas, munera, aut forenſia, aut vrbana cũ commendatione ꝓponuntur, parùm, aut nihil ab Elogijs differunt, nec ſolis coercentur finibus narrationis, nec liberè per campum excurrunt exornationis; ſed ita ex utriſq; conſtant, ut, et breuitati ſeruiant, et ornatui, et ut nihil admittant, quod redundet ſic metaphoras, è re nata, ſimiliter deſinẽtia, apoſtrophen, figuraſq; aliàs parce tamẽ, et ſobriè In quibus ſæpè numero prægeſtientis animi cauſa diſſoluitur in carmina, ac liberè plaudit, et triumphat oratio.

Huius argumenta libri primo loco ponantur Elogia ſacra, quæ à fol. 139. de Sancto Niceto uſq; finem fol. 138. et à fol. 145. de Sancta Christina, uſque finem, fol. 160. latè patent. His addè, fol. 185. de Dino. Et 188. Camillus. Secundo loco Trophæa Sacra, quæ à fol. 139. Neapolis uſque finem, fol. 144. et à fol, 161. uſque, finem 188. interiacent. Vltimo loco Elogia Virorum, etc. Et Trophæa Ducum, etc. quę à fol. 189. Vrbanus uſq; finem fol. 214. excurrunt ſecretis nonnullis alio poſitis, alio ponendis. Inter Elogia Virorum, tanquam in propria repone illa fol. 131. Scipio, et fol. 132. Carolus et fol. 339. Alexander.

His nonulla intermiſcet Auctor quæ, ut ipſe fatetur, Buſtuarijs uidentur affinia, ſed planè Elogia ſunt, cùm in ijs Elogiorum potius, quàm Epitaphiorum ſeruentur leges, ſed aptius hęc locanda ſunt inter Buſtuaria, ut infrà: Huc propriè ſpectant per antiphraſim Diræ, ſiuè execrationes illæ fol. 347. In maledicos; et fol. 348. in Ingratos, et fol. 346. Verum mendacio.

Quartus Liber Buſtuaria uocatur, quæ in uera, et ficta; in ſacra rurſus, et profana diuidit Auctor. Hęc à fol. 171. uſq; finem latiſſimè currunt; unde in tantam excreſcunt ſegetem, ut ex his dùmtaxat altera pars Operis benè conflari poſſit, ſed alitèr, quàm iacent hic, locanda erunt, neque enim fas eſt miſcere ficta ueris, profana ſacris.

Sub hoc Buſtuariorum nomine primò veniunt Chriſti Ieſu Seruatoris Noſtri, & Deiparæ parentales dies: Sanctorum, & Martyrum, & Virginum Natales obitus. Illuſtres occaſus; mauſolæa, penſiles vrnæ; ſacra Accubantium tumbæ, æuiternorum cunæ; mortalitatis exuuiæ, immortalitatis faſciæ; æuitas functa, æternitas comparata. Secũdò habentur inamæna, luctuoſa, infauſta, tragica, vt rerum viciſſitudo mortalium, Fortunæ ludus inſolens; inopinati, pręcipites interitus, extrema mortis neceſſitas; hinc Pontificum, Cæſarum, & Regum demeſſa capita; denigrata maieſtas diademata, & ſceptra conculcata; fumoſæ imagines; euanida gloriæ ſpes, et fallax nimium honoris cogitatio. Hinc Ducum, & Heroum lacrymoſæ cataſtrophes; periculoſa Martis alea, fulminatæ laurea, erectæ cupreſſus, depreſſæ palmæ, arma, & vexilla ſupinata; ſilentes tubæ; obmuteſcẽtia tympana; Siticines, Cornicines, Buccinatores queruli; flebiles tubæ, mæſtæ fiſtulæ, rauci ſiphones, tituli, ordines, cippi, tumuli, honoraria, ſpolia, manubiæ, prædæ, et ſuſpenſa è tholo, uel in Martis ſolatiũ, uel in Mortis opprobriũ belli trophæa. Vltimò ſequũtur Auorũ, Atauũq; ſitorũ humi poſtliminio redditus, & quietes. Parentũ, & coniugum amiſſiones; orbati thalami; inclinatæ domus; filiorum, et nepotum ſucciſi flores, extincti amores; Matrum, et Sororum profuſæ lacrymæ, ſoluti crines, detonſæ comæ pullæ veſtes, atrum ſyrma, Præficæ, Funeræ, murmura, gemitus, eiulatus, laudationes, querimoniæ, amoris teſtes, indices doloris.

In his conſcribendis nihil præcipiendi cauſa dico, ſed quid ſecutus Auctor ſit, in medium affero. Nulla in Vrſo legis epitaphia breuia, ſimpliciq; ducta ſtylo, quę verba amant propria, remq; adamuſſim exprimentia reiecto omni ſentẽtiarum, verborumq; ornatu qualia ſunt ex Veteribus. Nulla ex pręſcripto Platonis, qui nulla habita ratione rerum intra numerum quatuor Heroicorum verſuum definiuit Epigrammata ſepulchralia, vetuitq; e lapide excitari tumulos: qua lege, nec Achilles, nec Hector, nec Hercules, nec vllus alius pluribus quatuor laudandus in marmore verſibus eſt. Neque vlla ex his, quę tantum approbant Recentiores quidam, vt ſibi videntur emunctę naris, et ſatis cordati Viri, qui Platonis lege, atq; omni antiquitate poſthabita, pręter defuncti nomen, et cognomen nihil addi ultra uolunt Epitaphijs, et expleuiſſe ſe numeros omnes ſepulchralis inſcriptionis putant, cùm ità inſcripſerint. Hic iacet Marcus Antonius Muretus. ieiunè ſatis, et liuidè; nec breuitatẽ colunt, ſed genus hoc ingenioſę ſcriptionis perimunt. Nam quę laus eſt, vt benè animaduertit Auctor, natum eſſe, vixiſſe obijſſe? quiduè hinc condiſcet, aut, quod ſe ad egregium facinus incitabit Poſteritas? Cur nulla ingenij, eruditionis, eloquentię mentio? quę ſingularia, et præclara in Mureto fuerè? quòd ità verũ cenſeo, vt nè in viris quidã clarisſimis, quorũ res geſtę terras omnes peruaſerunt; eorumque, nomina, et pręclara facinora luce ſunt Solis clariora id ſatis eſſe putem; tùm quia Buſtuaria *exornationem aliquam requi-*

runt;

runt; tum quia, qui ſunt hodiè palam, ac publicè noti, non ità erunt cogniti Poſteritati; Cui lapides, tumuloſq; tranſmittimus; quæ ſi prætermittas, non breuitas iſthæc erit, ſed liuor, et ſilentium.

His ergò reiectis, vt mutilis, vt tritis, & inuenuſtis nouam Auctor ingreſſus eſt viam nulli notatam antè veſtigijs: ac ſibimet ipſe præpoſitus inſtar quoddam Epitaphiorum exemplar, & magiſter ſuo fretus Marte, ſuo ductus genio, quàm multa adinuenit Buſtuariorum genera illuſtria omnia, & præclara. Quorum prima ad miraculum nitida Elogijs, & Trophæis intermiſta videntur, cum ſemper laudem, exornationemq; ſiti commemorent. Altera, & plurima aculeis plena ingenij, ſententiarum argutijs, & verborum lenocinijs, non minus, quàm Elogia. ſed parcius, & modeſtius. Alia breuia quidem, ſed dilucida, ſed arguta; in quibus ipſa breuitas perſpicua eſt; argutia facunda nimis. quæ propria laus eſt Vrſo, qui ſæpe, quicquid eminens, illuſtre, vel ſingulare, quod ad Defuncti commemorationem pertinet, ità plenè ſeligit, colligit planè, vt rem in vna, vel altera periodo, acu angere, laudeſque ad omnes collimare videatur. Pauciſſima demum nuda, & ieiuna, quæ res ſolum geſtas, honoreſq; magiſtratuſq; Siti continent, quæque iuſſus, vel inuita, vt aiunt Minerua, elaborauit auctor ad nutum, & leges Imperantis: in quibus, dùm genio ſatis indulget aliorum, ſuo malè deſeruit ingenio. quod crimen alteri vitio vertendum eſt, non Vrſo: niſi, & vitium dixeris imperata facere, obſequi Maioribus.

Argumenta huius libri ſacra, et vera, quæ videntur Elogijs, et Trophæis intermiſta ſumunt exordium à fol 162: Chriſtus *vſq; medium fol.* 169 *de cuſpide. His appone fol.* 170 *Lazaro. et à fol.* 172. *Chriſtus vſq; finem fo.* 181. *et à f.* 183. *Tumulus vſq: finē, f.* 184. *et f.* 187. *Maria. His annecte vera, ſed profana à fol.* 215. *Henrici vſq; initium fictorum fol.* 320. *Ficta vero, et Sacra ſunt hęc fol.* 161 *Tumulus. fol.* 169. *de Cuſpide fol.* 170. *Humani. Et à fol.* 171. *Defectus vſq; medium fol.* 172. *Chriſtus; Et fol.* 182. *multa. Profanis autem, ſed fictis det initium Parthenope, fol.* 320. *quàm ſequantur, et reliqua vſq: finem totius Operis.*

Vniuerſo tandè in opere Monumenta, et Buſtuaria ſelectiora habentur, et venuſtiora, quæ ſublimi grauitate verborum, maieſtate ſententiarum mira, perſpicuo, aculeato; et puro linguæ ſtylo compoſuit Auctor, ad hęc verè natus; in quibus non ſolum omnes Veteres, et Recentes longè antecellit Epitaphiorum *ſcriptores tanquàm* Princeps, *et* Coryphæus; *ſed etiam ſe ipſum ſuperat, ſuiq; nominis famam Immortalibus Hominum Animis bene dicatam ardenti in hac Buſtuaria* Pyra, *uel* Ara *AEternitati conſecrat, uel ſua inter Buſta fæcundis e cineribus in lucem exceſſurus ut* Phœnix, *uel nunquam ſubter vrnas lacrymarum occaſurus Vrſius.*

IMMORTALIBVS HOMINVM ANIMIS IO. BAPTISTA VRSVS E SOCIETATE IESV.

VESTRVM *Opus hoc, veſtro prodit auſpicio, immortales hominum animi. Immortalitatis appetendæ ſtimulum humanis mentibus immortalis ſubdidit genitor. Hanc inter immortales ſtudio quærimus Religionis; inter mortales propagatione nominis, ac generis: vtq; aduerſus mortis illuuiem, tabemq; ſqualidam nitor, candorq; repertus lapidum eſt; ſic aduerſus obliuionem nominis monumentum aliquod, quaſi ſtatarium Solem excitant, qui in Cælo rerum fluxarum perennis, in vertigine Mundi immotus, curſum ſiſtat præterlabentis æui, vitamq; nominis aridis quoque cineribus halitet. Hunc ſe reperiſſe Solem arbitrati ſunt, qui prodigioſæ proceritatis, ac magnitudinis Pyramides, Obeliſcos, Coloſſos, Mauſolea in Cælum ducta, velut ſubducta mortalis æui caſibus, arcem ſibi æternitatis ſtruxiſſe viſi ſunt: quæ emergentem Solem protinus exciperet, eiq; conſignatum nomen, illuſtrandum, deferendumq; per orbem terrarum quotidie traderet. Secundùm hæc, alia quæſita monumenta quàm minimùm viciſſitudini ob-*

noxia, Fornices, Trophæa, Columnę, Aera, Numiſmata, Templa, Tumuli, ſcriptaq; aut impreſſa papyrus, vulgandis animi, & ingenij fœtibus, promulgando nomine Auctoris. Inter hæc autem primas obtinet hiſtoria, aduerſus ingluuiem reperta temporis, ne illuſtrium virorum egregia facinora cinis obruat ſitorum: præteritaquè ſiſtens ſæcula, ex antefactis futura præmoneat, regat præſentia. Ex hoc genere Faſti ſunt, Commentarij, Decades, omniſquè Hiſtoria: ex hoc item genere noſtra hæc Buſtuaria, Parentalia, Monumenta, Dedicationes ſub vno Inſcriptionum nomine nuncupata. quæ velut longioris hiſtoriæ breuiaria, luce palàm legenda proponuntur. quorum ego quædam iuſſus, multa rogatus, nonnulla ſpontè commentus mea; ſanè iuſſus, rogatus, & ſpontè edo mea: immortalitatemq; inter buſta mortalium ita quæro, vt non ignorem mea hæc repagula fluentis æui, quamuis vtero concepta immortalis animi, tamen inter brachia ſuſcepta mortalis calami, interitura breui. quo minus Pontificum, Regum, Dynaſtarum fidem, faſceſq; imploro humanis ſubiecta caſibus. Vos mihi, vos huic papyro adeſte, immortales animæ, quæ exutæ mortalitatem, immortalem hauritis à fonte lucis diem. ſanè immortale patrocinium requirit ſtudium Immortalitatis, quam ego non iam libello, nominiq; meo, ſed mihi, vobis deprecatoribus, quàm citiſſimam expeto. Quorum exorando ſuffragio lucubrationes haſce, memeq; volens, lubenſq; dedico. An. æt. Lxx. ſal. hum. CIϽIϽCXXXVI.

IO. BAPTISTAE VRSI INSCRIPTIONES.

IN MAXIMA GYMNASII REGII IANVA

Bipartita ad vtrumquè latus Inſcriptio, pro lapidis collocatione. Neapoli.

I.

PHILIPPO III. REGE CATHOLICO
Don Petrus Fernandez de Caſtro Lemenſ. Comes Prorex
Compoſita pro voto re omni publica,
Legum opportunitate, delectu Magiſtratuum,
Fori, ac iudiciorum emendatione, Ærariorum, ac Fiſci
Pręter ſpem, præterq; vacationem incremento,
Alta omnium ordinum quiete,
Vbertate maxima exhauſtis ad annonam paludibus,
Importata multiplicem ad vſum, oblectationemq;
Aqua Caſtria: quaſi operum coronidem,

II.

Gymnaſium cum Vrbe natum, Vlyſſe auditore inclytum,
A Tito reſtitutũ, à Frider. II. legibus munitũ, auctũ honorarijs,
A Carlo II. Andegau. intra mœnia poſitum,
Ferdinandi Catholici tumultibus penè obrutum,
Ex humili, anguſtoq; loco in ampliſſimum, auguſtiſſimumq;
Iuxtà Vrbem, vetere ſapientum inſtituto,
Regio ſumptu excitatum tranſtulit.
Ann. ſal. hum. CIϽIϽCXVI.

In altera eiuſdem Gymnaſij Ianua, vbi lapis alius teſtatur Regijs equis eam ſtructuram inchoatam.

PHILIPPO III. REGE.
D. Petro Fernandez de Caſtro Lemenſ. Com. Prorege.
Deſcripta olim alendis equis area,
Grandiore Muſarum fato,
Erudiendis deſtinatur ingenijs.
Vera iàm fabula,
Equina effoſſum vngula ſapientiæ fontem.

In oppido nouo Ferdinandi Ducis Guardiæ.

Poſitam à Romanis arcem
Ne ſemper inchoatam aſpiceres,
Pro modulo ſuo abſoluit
Ferdinandus de Marra Dux Guardiæ.

Ibidem.

Oppidulum hoc nuperum,
Sibi, ſuiſq; ab ſe conditum,
Vt tanquàm de ſe genitos regeret accolas,
Marram
Suo de nomine nuncupauit
Ferdinandus de Marra Dux Guardiæ.

Pau-

Pauſilypi, in ædibus Principis Colubrarenſis. quas ædes incoluit Maria Auſtriaca antequàm Neapolim ingrederetur.

Aedes haſce Sirenum contra ſcopulos
Fabij, ab Ducibus Magdal. Carafæ, Principis Colubr.
Melior, Auguſtiorq; Siren
Sereniſſima Maria Auſtriaca Reg. Hung. & Boem.
Philippi IV. Regis Max. ſoror vnanimis,
Cum ab Antonio Toleto Duce Albæ
Ad Ferdinandum Auſtr. virum Ferd. Cęſaris filium duceretur,
Sexdiali dignata hoſpitio
Fauſtitate inaugurauit æuiterna.
Ann. ſal. hum. CIƆIƆCXXX.

In villa, in qua excepta eſt eadem Regina Hungariæ, &c.

Villa eram
Parthenio Petania patrono illo cauſarum
Hero, & Lare ſat beata meo:
Poſt vbi anno ſal. CIƆIƆCXXX.
Maria Auſtriaca,
Repetito ad virum itinere,
Maieſtate impleuit ſua;
Hoſpita Reginæ Regia ſum, & Villa
Madrithio par, aut conſors.
Hæc habe viator, & ſubi hoſpes, aut abi ſoſpes.

Supra Portam Vrbis Regalem.

Petro Toleto Marchioni Villæ Franchæ
Carolo V. Cæſare
II. & XX. ann. Proregi,
Amplificatori Vrbis.
Translata huc ab platea Nili porta Regali,
Producta vlterius porta Don Vrſa,
Ducto quà amplificauerat muro,
Illuſtrata, conſtrataq; crypta Puteolana,
Munita hinc ad Regiam via Toleta,
Excitatis
Proregibus Aula,
Magiſtratibus Prætorio;
Aegrotis valetudinario,
Ciuibus in vertice collis Arce,
Magnò Antonij Toleti Ducis Albæ patruo
Philippo IV. Rege
Pari merito Proregis,
Boni publici auctori, publicę rei ergo
Parthenope.
Ann. ſal. hum. CIϽIϽCXXVIII.

Supra Portam Albam.

PHILIPPO IV. REGE.
Antonius Aluarez Toletus Dux Albæ Prorex
Viam hanc, portamq; Albam
Montanis Vrbis regionibus
Ad Prætorium, ad Regiam compendiariam
Publicæ commoditati
Aperuit, muniuit.
Ann. Magiſtratus III. ſal. hum. CIↃIↃCXXV

Supra eandem Portam.

PHILIPPO III. REGE.
Antonio Aluarez Toleto Prorege.
Ne ad immortalem, mortalemq; vitam
Sua deſit vinctis opportunitas;
Immortali conſultum ſodalitio Sanctiſſimæ Trinitatis,
Mortali ianua hac,
Qua
Medicis, Magiſtratibus, ſubſidiariis
Expeditus ad ęgrotos patet acceſſus.
Ann. ſal. hum. CIↃIↃCXXVIII.

Supra

Supra domum Friderici Gentilis.

Fridericus Gentilis
Gentilibus ab Normandis
Laſinę Comitibus
Inter proſpera, aduerſaq;
Vt res fluctuant mortalium,
Diù actis
Impar tanto ſtipiti Germen
Inchoatam à Michaele parente domum;
Quę maiores, quę minores
Quaſi familia Ianus aſpiceret.
Studio ſuo; obſequio in patrem,
Amplificatam
Maribus primogenitis Legauit:
Amiciſq; & conſanguineis poſteriſq; eorum
Perpetuò vult recluſam.

In domo Marchionis Vinclatorij.

Ades dum viator,
Domos hæc ab tribus,ab vno eſt,
Summota fabula,
Geryone ab nupero eſt.
Andreas ſtruxit genitor, auxit Fridericus frater,
Amplificauit, concinnauit
Camillus Longus Marchio Vinclatorii.
Anno ſal. hum.CIƆIƆCXXX.

De nemore Principum Caſertæ.

Nemus hoc
Campaniæ felicis ocellum
Natura loci, ſolertia artis,
Feracitate ſoli, ſalubritate cæli,
Perennitate fontium, varietate florum,
Elegantia Villæ, deſcriptione viarum,
Vmbra, ſole, fruge, fructibus lætum
Inchoauit, abſoluit
Andreas Matthæus Aquiuiuus Princeps Caſertæ.
An. ſal. hum. CIↃIↃC.

Neapoli.

PHILIPPO IV. REGE.
Emmanuele de Fonſeca, & Zunica Prorege.
Coercendis militibus
Deſtinatas olim ædes haſce,
Crebroq; experimento
Fugæ magis, quam cuſtodiæ vinctorum oportunas,
A fundamentis reſtaurauit,
Vim, formamq; fidi carceris dedit
Martinus de Burghera Regij exercitus Auditor.

Foggiæ.

Vos quoque Beluederij Lares
Exutos ſenio, nouum tranſcripſit in æuum
Tridui hoſpitio
Maria Auſtriaca
Reg. Hiſpani neptis, filia, ſoror,
Hac
Facibus vecta maritalibus
Ad Ferdinand. Ferdinandi Cæſaris filium
Regem Vngariæ.
An. S. Hum. CIↃIↃCXXX.

Pauſilypi.

Carolus Ardiczonus Neapolitanus, origine Genuenſis,
Criminum vltor, Procurator Fiſci,
Domum hanc
Sibi ab curis forenſibus,
Amicis pro libito hoſpitalem,
Explicata,æquataq; de ſuo via
A fundamentis.
P.

Pauſilypi.

Prædium hoc,
Villa, pomariiſq; munitum,
Nec vlli obæratum,
Fabius de Dura eques Parthenopæus
Maribus primogenitis legauit,
Perpetuoq; nexu fidei commiſit poſterorum:
Ne vnquam vllam ob cauſam
Vendant,diſtrahant, pignori dent.
Secus ſi faxint, poſſeſſione cadant:
Remq; ipſam,vſumq; fructumq; vti vti fuerit
Iure mancip: aut quoquo alio iure
Adeant,capiant,vindicent
Secundo ex ſe loco geniti,
Eademq; lege nexi teneant.
Ni teneant,
Primogenitorum poſteri repetunto,
Lapide hoc indice, cælo vindice.
Ann. ſal. hum. CIϽIϽCXXXV.

In Vrbe Letterenſi.

PHILIPPO IV. REGE.
Syluam Reginę, prędiaq; adiacentia
In re pridem pręclariſs. cauſar. patroni
Camilli Medicei ſoceri
Commendatoris,quęſtoriſq; equitum S. Stephani
Regali iure feudorum Baliui,
Magiſtri actorum Vrbis Letterenſis,
Incrementoq; Villæ, & Latiore fundo
Amplificauit
Fabius Capicius Galeota
Conſiliar. Aduocatus fiſci Reg. Cam. Præſid.
Ann. ſal. hum. CIϽIϽCXXXV.

In Monte Mileto.

PHILIPPO IV. REGE.
Carolo Tocco Principe,
Ciuium opportunitatibus,Vrbis ornatui
Patefacta porta hæc eſt.
Anno ſal. hum.CIϽIϽCXXXVI.

Coſentiæ in Brutijs.

Caeſari Ferrao Principi S. Agathæ
Fundatori,
Quod hanc etiam domum
A maioribus acceptam,
A fund. reſtauratam, inſtructamq; ſupellectile,
Diuino obſequio,optimo publico,
Manciparit,
Patres Scholarum Piarum G. A. M. PP.
Ann. ſal. hum. CIϽIϽCXXXVI.

In auguſta porta, Neapoli in templo domus Profeſſæ patefacta, ad excipiendam Sereniſsimam Mariam Auſtriacam ab templo domum.

Porta Auguſta:
Qua penitiores ad lares ingreſſa,
Penitiſſimos in nos regalis animi ſenſus,
Pridem alibi agnitos,
Hic quoque liquidius patefacere dignata
Auguſta eſt.

Domi, è regione eiuſdem Portæ.

Porta hęc Auguſta,
Iuxta aram reſerata Xauerii,
Cœſareę maieſtati benè,
Benè chriſtianæ ominatur pietati:
Subigendis utriuſque hoſtibus,
Vtriuſque propagandis finibus,
Te auſpice, Maria.

In arce oppidi Pollæ.

Arcem hanc hoſtibus inacceſſam,
Sanſeuerinis conditoribus,
Ferdinando oppugnatore,
Regum Aragonenſium monumento
Inclytam,
Aeuo, non ęre ruinoſam
Reparat, munitq; Ioannes Villanus Marchio Pollæ.

Abel-

Abellini, ſupra portam Vrbis.

Marinus Caracciolus Abellinatum Princeps III.
Explicatis latè męnibus, incluſiſq; ſuburbijs,
Vrbem latius, ciues tutius, aduenas lætius,
Omnes habuit munificentius.

Ibidem, ſupra aliam portam.

Marinus Caracciolus Abellinatum Princeps III.
Cupidine actus ingenita,
Quo ſol patrius, primigeniiq; penates
Cognatum ſanguinem
Arcano trahunt ſenſu,
Propius Eoum vrbem egit:
Vt indigetes, aduenas, gentileſq; Æacidas,
Si qui ſuperant, ſi qui adeunt,
Citius, feſtiuiusq; excipiat.

Ibidem ſupra portam pomarij.

Mulcendo per pacis blanditias Marte,
Exercendaq; per ludrica Martis pace,
Naturæ artiſq; ad oblectandum certamina
In ampliſſimo hoc viridarij theatro
Sibi ſuiſq; indigeniſq; & aduenis
Parauit,
Martis delicium, pacis pręſidium,
Camillus Caracciolus
Abellinatum Princeps III.

Sub

Sub Turre Paulæ.

Paulam Ciuitatem
Ab Othomanicis exuſtam,
A Caſtrouillari Ducibus,
&
Fuſcaldi Marchionibus
Reſtauratam,
Thomas Franciſcus Spinellus
Amplificauit.

Inſcriptiones fictæ in faucibus Aetnæ.

Quod imo terræ barathro,
Atro igne,nocte inuoluimur fumifera
Tenebriones, Lemures;
Ne deſpice:
Cælo genus trahimus, Regiæ ſublimioris aulici,
Arcem agreſsi diuinitatis impigrè.
Niſi vicimus, non ceſſimus:
Exilio, quàm obſequio tumentiores:
Quamquàm
Procreationis noſtræ in Limine.

In faucibus Veſuuij.

Hic fremit,hic ſecum indignata bacchatur.
Triſtibus Erinnys adſtricta vinclis:
Felix nimium,nimium potens.
Si non ſibi viſa felix, non ſibi viſa fuiſſet potens
Luciferiana phalanx,
Lucifugi in exordio æui.

In faucibus Strongylis.

Acceptis ventoſa opibus,
Blandiensq; ſibi,luxurianſq; animo inſolentiùs
Turba Laruarum.
Accepiſſe doluit,
Et ne doluiſſe pœniteat
Hic impotenti inſoleſcit odio,
Felicitate arrogans,ſupplicio contumax,
Doletq; & angitur, nec pœnitet tamen
Lucis genitæ anno 1. die 1. hora 1.

In antro Puteolano.

Clara genere, potens opibus, virtute incomparabilis
Prætoriana Cœli cohors,
Inuidia tabeſcens conſanguinei Deo hominis,
Affectanſq; apicem contumaciùs,
Auſa res nouas in aula Dei,
Stygio merſa lacu, æterno vincta chalybe,
Pro modo lucis,ac culminis
Sub ima nigreſcit tartàra
Noctis æternæ Heſpero primo,& vno.

In Gadibus.

Nulla hic meta rerum,
Nullus in globo terræ limes,
Aude age, plus,vltra
In apertum inuehere Oceanum,
Vnde ſoluis gnarum tibi,
Quò appelles ignarum.

In Hibernia.
Pro foribus Purgatorij Sancti Patritij:

Quiſquis audes, conſtanter aude:
Ne terrere ſpectris,
Ne capere illicibus.
Obdura, ſile, perfer.
Altera te Dies
E maculatum reddet, & nitidum.

In ſupercilijs oculorum.

Hac aditus ad animum,
Hinc coram datur copia fandi
Nullo interprete,
Muto eloquio,
Acri oratione,
Facili ſuaſu,
Perdifficili mendacio.

In Tabula argentea Chriſto pupulo ſubiecta, qui Maurum ad Chriſtianam Religionem illexerat.

Hic ille ſtipes elinguis, & impotens,
Chriſti ſimulacrum potens, & eloquens,
Ferijs natalitijs
Huius ſpectatorem præſepis Maurum
Seruum deformem,& impium,
Salutari manu ad ſe accitum,
Illuſtratum, extemploq; ægrum,
Io. Andrea Caſſetta ſuſcipiente, luſtratum,
Viaticoq; oleoq; munitum cæleſti,
Pulchra, æternaq; libertate donauit.
xv. Kal. Martii. An. CIƆIƆCXXXIII.

Sub Tabula picta eiuſdem Mauri.

Ne me aſpice: ſi me quæris,
Non ſum qui fueram.
Mentem nouam, nouum gero vultum.
Ex Amedito horrido, ſento,ſqualido,
Ioſephus extiti nitidus, elegans, venuſtus.
Omninò irradiat in facie lux animi:
Vtq; fœdum reddebant piacula,
Sic formoſum reddidit fons piacularis.

Paulæ, ſub Statua S. Franciſci.

Quam Vrbem
S. Franciſcus ciuis cæleſti patrocinio vallauit;
Hanc,
Eodem auſpice,
Thomas Franciſcus Spinellus
Securitati ciuium intentus,
Mœnibus, turribus, apparatu bellico,
Militiæ ordinibus muniuit.
Anno,
Poſtquam in Spinellorum ditionem peruenerat,
CXXIV. Sal. Hum. CIƆIƆCXXVIII.

Sub Statua intemeratæ Virginis Deiparæ Conceptionis plurimis, pellucidiſq; diſtincta lapillis.

Gemmam gemmæ ambiunt, vt ſtellæ ſolem,
Nitidam ſemper, non ſemper nitentes.
Hæ rudi conceptę rudere,
Squalorem deterſæ eluunt:
At illam nitens concepit concha nitentem,
Non deterſa lue generis, ſed prohibita.
O cæli, terræq; vnio!
Solis inſtar, non antè concepta, quàm ſplendida,
Illabere animis, ſenisbuſq; noſtris,
Supplices, araſq; tenentes oramus.

Aliud

Aliud.

Suo famulantur ſydera ſoli,
Nitidiùs, quò longiùs.
Suo famulantur gemmæ ſoli,
Nitidiùs, quò propiùs.
Nempè
Orbis, oriſq; labes ſol ille vt occulat,
Obumbrat accedentes, recedentes illuſtrat:
Solis huius ſine lue nitorem
Liquidiùs haurit, qui illabitur intimiùs.

In apparatu funebri Didaci Pimentelli Claſsis Præfecti.

Sub tabula captarum triremium.

O factum bene, ô inclytum!
Hoſtium conſilia, curſumq; exploraturus Didacus,
Duas prętorias triremes duabus triremibus
Aggreditur, capit, auehit:
Inſequentem claſſem obliqua nauigatione eludit,
Explorator cautus, prędator nauus, gubernator callidus,
Manu, arte, conſilio ſtrenuus.

Ibidem, ſub tabula oppugnationis oppidi Suſæ.

Defuere tibi auſpicia, Didace,
Non animus defuit Scipionum.
Tu arma Afris intuleras,
Tu portam Suſę mortariolo deieceras,
Deiecturus alteram, pręter fidem ſpeculatoris inuentam,
Euerſurus vrbem, ſtationemq; piratarum.
Sed periere conſilia, vno te icto,
In quo omnium auxiliorum inſtar erat.

SS. Ignatij, & Franciſci Xauerij de Mundo, ſub tricipiti monſtro deſignato, trophæum. Sub ſigno Leonis.

Bella, aſpera bella
Mouit Ignatio, mouit Xauerio
Triceps bellua.
Armorum illi gloriam,
Huic lauream ſcientiæ
Obiectauit improbè.
Tum quas vtrique opes,
Quos oſtentauit faſces?
Et iam loco mouerat,
Ni afforet
Diuus Ignatio Petrus,
Diuus Xauerio Ignatius:
Qui iunctis ſtrauere copijs Leonis robur,
Iunctoq; mox igne cremabunt
Triforme monſtrum.

Sub

Sub ſigno Sirenis.

Ne me. Parthenopem rere:
Illecebra ſum, Parthenope potentior.
Huius illa Regina ſoli, cultrix ingeni
Pocula propinauit ſapientiæ:
Equidem ſine faſcibus, ſine legibus impero.
Nulla vi, nullo metu, ſola modulatione
Irretio, orci ſatelles, proles veneris:
Irretitis philtra propino
Homines demento, humanos mentita vultus
Ferinis moribus.
Aquis quondam obruta, emerſi;
Igne inflammata, euaſi;
Hoſtes perpeſſa graues, impetum ſuſtinui:
Vnus hic Ignatius, vnus hic Xauerius
Quot ſatellitio ſubduxere meo?
Et nunc cæleſtibus aucti honoribus, quid moliuntur?
Heu me, ſublimis rapta, ignem metuo.

Sub ſigno furialis Draconis.

Quid hic agis furialis Draco? quid hiſcis?
Ignatii ne, Xaueriiq; plauſibus inuides?
Dirumpere,
Inhala ex ore putido teterrimum nidorem;
Non hos inficies.
Intorque caudam; non cœlo detrahes.
Quin age,
Et qui inuidia æſtuas, æſtua flammis.

In-

Interpretatio Numiſmatis Regis Suecorum.

Guſtauus Adolpus
Suecorum iniquo iure Rex,
Vnus mortalium morti,
Vnus inferis, ſuperiſq; æquè inuiſus,
Lethum, laruam, Angelum impio in numiſmate effićta
Cataphraćtus pede ſubigebat impudentiùs,
Ergo
Preſſa ſub morte, ruit altiùs;,
Imoq; iacet Tartari fundo.
Exulceratis torquetur atrociùs furijs,
Hoſtis, & Hoſpes, qui vixit orci.
Et pernegato ſecum iraſcitur numine,
Exeditq; fœcundum arrogantia pećtus
Proſtratus ſuperbæ mentis typhus.
Noſcitur tamen inter vmbras in noćte profunda
Stigmaticus contemptor aræ,
Illuſtribus in fronte notis,
Tertius Aloides
Interq; eiulatus, fragoremq; dentium
Horrendum inclamat,
Diſcitè pietatem Athei, agnoſcite Diuos.

Sub

Sub Tabula, quam Chriſto infanti, lactentiq; in templo ſuo conſtituit Illuſtriſs. Paulus Palumbus Epiſcop. Caſſanenſ.

Pupe ſator hominum,
Tuq; ò genitoris tui Virgo Genitrix,
Veſtram fidem,
Seruate meum, imò veſtrum, meq; cum eo gregem,
Templaq; locaq; flaminesq; vrbis Sanctos,
Ius, ditionemq; veſtram
Ab externa vi, ab irruptione hoſtili
Seruate immunia, innoxia,
Supplex oro, obteſtorq; Paulus Palumbus Epiſc.

Sub Statua Angeli cuſtodis tertio poſt die ab clade Veſuuiana penè integri in eiuſdem Epiſc. agello reperti: cuius impenſa cælatus collocatuſq. in templo fuerat.

O cuſtos animi, rerum cuſtos mearum,
Sancte Lar.
Tu, ſæua tonante veſeuo, ardeſcente cœlo,
Subſultante ſolo, bacchante per agros flamma,
Procumbente emicas æde:
Quo flamine, quibus vectus alis, ſolus noſti:
Piuſq; & acer
Torrentem igneum
Ab agello prohibuiſti meo:
Exiguumq; ſeruas, euerſa Campania, fundum
Tuæ commiſſum fidei ſupplicis Clientis
Tartareumq; domas, ſtipes ligneus, ignem.
Salue ſancte lar, curiſq; exolutus, curis intende noſtris.
Sis rei, ſis animi, ſis vitæ ſemper vbiq; cuſtos.

Sub

Sub Tabula trium SS. Martyrum Societatis Ieſu, in feſto die Apotheoſis.

Te Duce, Ignati,
Teq; Ducis Legato, Xauori,
Chriſti Imperatoris vexillum
Per damna, per cædes tutati,
Non incruenti victores
Veſtrum triumphum læti proſequimur
Diuinum Pœana canentes,
Mox ſequuturi Laureati.

Neapoli, Sub Statua S. Ianuarij.

D. IANVARIO
Tutelarium auſpicatiſſimo,
Ob ſeruatam à clade Veſuuiana
Vrbem hanc,
Repreſſo protinus torrente igneo,
Innumeraq. in dies promerita,
Patres, & Populus Parthenopaei.
An. ſal. hum. CIↃIↃCXXXVI.

Sala-

Salmanticæ.

Genitrici Dei in conceptu Sanctæ
Vota vbique ſupplex,
Vniſonam, Romæ Legatus, appellationem
Antiquata
A Greg. XV. & Vrb. VIII.
Voce ſanctificationis
Edictoq;
Ne quis conceptum Deiparæ emaculatum,
Immaculatum omnes appellent
Memoranda cęlo, terris, inferis legatione
Hic templum, aramq; placabilem
Seſeq;, lareſq; ſuos
Spemq; mortalis, ſpemq; vitæ immortalis
D.D.
Emmanuel de Fonſeca, & Zunica Com. M.R. VII.
An. ſal. hum. CIƆIƆCXXXVI.

Puteolis.

Retenta ad memoriam vetuſtatis
Externa dumtaxat templi Calphurniani facie
Explicataq; ad formam ſacræ Aedis
Inaugurata olim D. Proculo tutelari area
Templum hoc
A Fund. excitauit, concinnauit, inaugurauit
Frater Martinus de Leone, & Cardenas Hiſpanus
Ex ſacra Eremitarum Religione D. Auguſtini
Inter Papæ Aſſiſtentes, & Regios Conſiliarios cooptatus
Epiſcop. Puteol.
Ann. ſal. hum. CIƆIƆCXXXIII.

Lecopetræ. Pro foribus Templi.

Diuæ potenti Montis Serrati,
Ignatii cœlo ſe deuouentis auſpici,
Harumq; Aedium
Effoſo in aquas, in ignem veſæuo
Maria Bermudez de Caſtro.

Neapoli.

Ieſu, & Mariæ.
Imparem voto Aedem;
Attritis in bello opibus,
Spe non Marte fruſtratus
Ferdinandus Caracciolus
Dux Areolanorum,
Patriſq; ſtudiis inſiſtens
Franciſcus hæres Dux Areolanorum.
Ann. CIƆIƆCXXX.

In Promontorio Mineruæ, quæ Maſſa Lubrenſis dicitur.

Virgini Deiparae Patronæ valetudinis
Templum:
D. Franciſci de Paula Sociis
Templi Cultoribus
Cœnobium, annuumq; cenſum
Nardo Epiſcopo Nicoterenſi patruo I. V. peritiſſimo
Feudorum monumentis inclyto
Eius poſt fata obſecuti
Franciſcus Caprearum Epiſcopus,
Alfonſus Antonius Iacobus fratres,
Et Andreas patruus
Parthenopæi
E' priſca, Illuſtriq; Liparulorum Familia
Fundarunt, Ann. ſal. CIƆIƆCIXXXII.

Neapoli.

Magno Martyri
Triumphatori Orientis,
Fauſto victoriæ Auſpici
Sancto Georgio
Ædem hanc vetere ampliorem
Tutelari ſuo pecunia ſua
Genuenſes F. F.
Studioq; Nationis impigri
Alexander Antonij Grimaldi Fil:
Io: Baptiſta Oberti Spinulæ Fil:
Præfecti
Peragendam curauere: peractam D. D.
Franciſco Doria Auguſtini Conſule.
Ann. ſal. CIƆIƆXX.

In Monte Mileto.

D. Annę Auiæ Dei:
Quod eius hic pes
Pro Corona Regni aduectus à maioribus
Religiosè colitur.
Carolus Toccus
Ex Regibus Seruię, Deſpotis Achaiæ,
Aliisq; ampliſsimarum Vrbium,& Regionum
Regio iure Dynaſtis,
Exiguum ingentis Imperii veſtigium
Princeps Montis Mileti:
Templum hoc
Auguſtę pridem nunc anguſtæ domus
Tutelari
DD.
An. ſal. hum. CIϽIϽCXXXV.

Laini.

Numini Sancto, Sancto Spiritui,
Cui Cœlum, Tellus, Aequor, Ara impar
Aediculam hanc,
Cœnobiumq; Fratrum Franciſcanorum
Hieronymus Cardenas Marchio Laini.
Oppidi Dominus
An. Sal. hum. CIϽICXXXV.

Auerſæ

Auerſæ.

Virgini Deiparę Annuntiatæ
Templum, Cœnobium. Noſocomium
Religioni, pudicitiæ, valetudini
Ab Auerſanis, inſtituta, dicata:
Ab Ioanna II. iure patronatus,
Ab Alfonſo Primo, & Philippo II.
Nundinarum Immunitate
Donata:
Publicam Lucem aſpiciunt
Io: Baptiſta Altomare,
Franciſco Bernardis I. V. C.
Horatio de Rognonibus Pręfectis
Ann. ſal. hum. CIↃIↃCXXV.

Neapoli.

S. Gaudioſo Ep. Bitinenſi
Duci Cœnobitarum Neapoli
Præſidi ſuo præſenti, ac vigili
Sanctæ Deo Virgines
An. ſal. Hum. CIↃIↃCXXXIV.

Neapoli in ora plagaq; maritima.

S. Ioſepho
Sponſo Virginis, Virgini,
Ob demerendum eius
Amæniſſimæ plagæ patrocinium
Coll. Soc. Ieſu.

Caietæ.

Templi huius
D. Mariæ Annuntiatæ
Ab ordine, & populo Caietano cùm adiuncto Xenodochio
In ius patronatus ſuum, ac proprium
Aere publico
Erecti
Anno CIƆCCCXXI.
Faſtigium faciei nutans,
Eiuſdem ſumptu ædes
Firmiùs, nitidiùsq;
Aediles, ac Pręfecti
Statuerunt,
An. CIƆIƆCXIIX.

Nea-

Neapoli in nouo Templo Societatis Ieſu, cui nomen indium à S.Ignatio.

Mons Miſericordiæ
Omnem ab ciuibus ab exteris
Auertere ſolicitus
Miſeritudinem:
Prçſidia alibi corporatis indigentijs molitus:
Templum hoc
Tutelę animorum
Societati Ieſu
Ad omnium ſalutem expeditæ
Fundauit
An. ſal. hum. CIↃIↃCXX.

Ibidem.

Mons Miſericordiæ:
Hic vbi ſpiſſa Ciuitas
Par quæritur induſtria,
Vt ſua prçſto ſit ops animis
Societati Ieſu
Ad omnium ſalutem expeditæ
Templum hoc fundauit
An. à P. V. CIↃIↃCXX.

Salerni in Crypta S. Matthæi.

Apoſtolo, & Euangeliſtæ Matthæo
Victori Idolorum, victori ſuperſtitionum
Oſsibuſq; eius ſaluberrimum humorem manantibus,
Aram bifrontem, Statuamq; aeneam
Totamq; Cryptoporticum maculoſo marmore ſplendidam
A Regibus Hiſpaniarum Philip. II. ac III.
Largitione pijſſima deuotam
Ferdinandus Ruiz de Caſtro Lemenſ. Com. Prorex
Adnitente Catharina Zunica magnæ mentis femina
Pietate in Diuos, obſequio in Principes, amore in Coniugem
Protinus inchoat, euéhitq;
Pariliq; ſtudio Ioãnes Alfonſus Pimẽtellus Beneu. Com. Prorex
Proſequitur
Donec D. Petrus Fernandez de Caſtro Lemenſ. Com. Prorex
Acri aggreſſus impetu Diuum, Religionem, iuſſa Principum,
Orſa Parentis:
Abſoluit, ac religioſiſſimè
D. D.

Salerni.

Sacrum D. Benedicto Templum
Situ ſqualidum, ac ruinoſum
De ſuo reſtaurat, ac perpolit
Scipio Cardinalis Burgheſius.

Amal-

Amalfiæ in Crypta S.Andreæ.

D. Andreæ Apoſtolo
Chriſti,per veſtigia,crucemq; cælum inuecto,
Oſſibuſq; eius iuuandi ſtudio rorem ſudantibus;
Hiſpani Reges Philipp. II. & III. pietati eius dicatiſſimi
Rudem Cryptam, aramq;
Nitidam in faciem, ſplendoremq; conformari imperant,
Cœptumq; & euectum opus
A Ferdinando Ruiz de Caſtro, vrgente Catharina Zunica
Lemenſ.Comitibus, Proregibus.
Et Io. Alfonſo Pimentellò Beneuēti Comite Prorege adultum
D. Petrus Fernandez de Caſtro Lemenſ.Com. Prorex
Toto amplexus animo Parentum,Regum, Cælicolum
Gloriam, decuſq;
Perfecit, ac præſens veneratus D. D.
Ann. CIƆIƆCXXI.

Stabijs.

Petro Ioanni Nuceriae Patricio Neap.
Vrbis huius,velut Patriae,ſtudioſiſſimo
Collegij fundatori:
Quod hoc præterea Templum
In Deum,in homines munificus
Excitauit.
Societas Ieſu.

Bouini.

Virgo potens Madiæ
Strue ſuper odoratarum trabium,
Quibus adhuc Templi Laquearia renident
Explicato velo,ſpoliata nautis,
Pelago, ventiſque commiſſa,
Mille ante annos appulſa Monopolim,
Hanc tibi ædiculam
Certo ad cultum,ſolennemq; diem cenſu
XVIII. cal. Septembris
Io. Antonius Galderiſius Epiſc. Bouinenſ.
D. D.
Ann. ſal. hum. CIƆCIXXXVI.

Beneuenti.

S.Bartholomeo Apoſtolo
Quod vocatus
Centum Laruarum Legiones
Cœnobio,Cœnobitis obſtinatè inſidentes,
Perterrefacto Orco,extemplo fugauerit:
Propugnatori ſuo pollenti benemerenti
Votiuam ſuos inter Lares imaginem
Votiuam aram,
Teſtemque beneficij Lapidem
Sanctimoniales
An. ſal. Hum. CIƆIƆCXXXVI.

Bouini.

S. Marci Epiſc. Confeſſ.
Priſci Vrbis huiuſce tutelaris,
Illuſtres diù Reliquias
A Roberto Epiſc. Bouinenſi
An. ſal. IↃCXXIV.
Humi hoc in templo defoſſas:
Vt ſubductæ oculis,
Manibus quoque impiorum ſubtraherentur,
Semperq; patentes,
Quantumuis licèt latentes;
Cultas obſequio
Anno,poſtquàm latuerant XI. ſupra CIↃ.
Actis diuinitùs
Acrioribus in tutelarem ſuum ſtudijs,
Intentiſq;ad huius molitionem Sacelli Ciuibus
x. prius,dein.v.cal.Mar tii,
An. ſal CIↃIↃCXXXVI.
Cupientibus,nec ſperantibus
Effoſſa locandis Sacelli funda mentis Humo
Binis incluſas arculis
A non quærentibus repertas
Ioannes Antonius Galderi ſius Epiſ.Bouinenſ.
Celebri ſupplicatione huc delatas;
Cella, aulaq; in hac auguſtius collocauit
An. ſal. hum. CIↃIↃCXXXVI.

Ibidem.

Chriſte Ieſu Crucifixe innocens,
Qui vicem luis contumacium obſequens,
Piaculaq; expias ſontium inſons:
Foue præſenti numine hoc ſacellum,
Quod tibi,
Quod ſibi, ac coniugi, quod filiis,
Poſteriſq; eorum
Hortante Maria de Aricanico coniuge
Scipio Veſpoſus
Struxit anno. CIƆIƆXXXVI.

Ibidem.

SANCTISS. ANTISTITI NICOLAO
Aridis ex oſſibus ſaluberr. humorem exudanti
Expetita hic omnium aſſenſu ara:
Vt hoc loci coleretur,
Vbi reperta tres antè annos in demolitione parietis
Hæc eius imago eſt
Hic excitatur ann. ſal. hum. CIƆIƆCXXXV.
Suffragante etiam, proq; viribus iuuante
Io. Antonio Salduerio Vicario,
Qui refragatus antè;
Nè explicata templi area, hac implicaretur ara
Lethali eruditus morbo vim ſenſit numinis,
Receptaq; diuinitùs valetudine ſapientior
Præſidium agnouit ſalutaris Antiſtitis,
Didicitq;
Neutiquàm humano metienda modulo diuina.

No-

Nolæ.

Suffragationi Animorum,
Qui Purgatorio igne expiantur,
Vindiciq; eorum clementiſſimo,
Diuiſq; Benemerentiſs.
Nolanorum Pietas
An. ſal. hum. CICIↃCXXXVI.

Neapoli
In Templo S. Mariæ Angelorum.

Diuæ Mariæ Annuntiatæ
Quod de ſuo excitauit, concinnauitq; Sacellum,
Quo maius redderet, & auguſtius
Tibi dicandum tradit,
Diue Hieronyme, patronorum maxime
Hieronymus Nardillus Neapolitanus
An. ſal. hum. CIƆIƆCXXIII.

Puteolis in Templo maximo.

SS. Franciſco, & Antonio
Tutelaribus ſuis.
Emmanuel Fonſeca, & Zunica, &
Eleonora Maria de Guſman
Comites Montis Regij Proregg.
An. ſal. hum. CIↃIↃCXXXIII.

Tarenti.

Vt familiaris Religio
In Chriſtum è Cruce refixum,
Gremioq; Genitricis acclinatum
Culta olim à maioribus
Præcipuè Monopoli in D. Dominici gentilitio Sacello
Auctior feratur ad poſteros
Lararium hoc
Quod ſibi, ac ſuis parauit
Quouè Io. Bernardini Patris I. V. C.
Sitos hoc in templo xx. iam annos cineres tranſtulit
Numini eidem, eodem ſimulacro pietatis effićto
Dicat.
Alexander Romanellus I. V. C. Auitæ Religionis obſeruantiſs.
Ann. ſal. CIↃIↃCXXIV.

In

In Monte Caſino in cubiculo, vbi ſpiritualibus animum expoliuit exercitijs S. Ignatius.

S. Ignatio Loiolæ
Societatis Ieſu Fundatori
Cubiculum
Multa cùm cœlitibus conſuetudine
Ab ipſo inauguratum:
A Cœnobitis religioſè cultum,
Congregatio Caſinenſis
In eum, familiamq; eius
Pietatis Monimentum.

Leucopetræ.

Mariæ Bermudez de Caſtro
Fundatrici
Re, & voto Benemerentiſs.
Societatis Ieſu
An. ſal. hum. CIↃIↃCXXXVI.
Eluuionis Veſuuianæ.
Ædes haſce, Templumq; reueritæ
An. V.

Neapoli

Neapoli.

Seruatori hominum
Potentiſſimo, Locupletiſſimo
Egeno in egenis
Aere gratis mutuò,
Opemq; obſequiumq;
Sodales
Montis Pauperum nominis Dei.

Capuæ.

Chriſto Sponſo
Sex geminas filias
Quæ ſe Deo concordi pietate deſponderant,
Eundemq; enixè thalamum optauerant,
Diuo Hieronymo
Tutelari domus, ac tanti coniugij Pronubo
His ædibus ſecreuit
Felix prole ſua
Lælius Thomaſius Patricius Capuanus
An. ſal. CIϽIϽCXIX.

Neapoli.
In Cænobio D. Mariæ Magdalenæ Mulierum Hiſpanarum.

Abeſte profani
Caſtitatis Ara eſt hęc.
Ornatiſſima ſpolia erepta libidini,
Triumphato Fornice:
Beatæ Mariæ Magdalenæ
Laureatus pudor ſuſpendit.
Pudicitia
Grates agit innumeras Excellentiſs. Eleonoræ Mariæ Guſman
Montis Regii Comiti Neapolitanæ Proreginæ.
Optima Heroina
Nouas ſedes ampliores
Extruxit,
Veſtem, annonam in dies ſuffecit;
Rem totam, familiamq; diligenter
curauit.
Mulieres Hiſpanæ ab Hara ad Aram
traductæ
Monumenti ergo poſuere.
An. Dom CIϽIϽXXXIV.

Neapoli.

Ioſepho Decii filio Bernaliæ Iure C.
Pietatiq; ac ſapientiæ eius,
Qui pudicitiæ Ciuium,quàm ſcientiæ
Conſultum maluit
Amoto ſtudioſorum Collegio ſubſtituto ſibi à Patre
Erudiendis ingeniis hærede,
Aedem hanc Diuæ Mariæ
Inuiſentis pauperes
Alendis, dotandiſq; Virginibus:
Paulo Quinto Pontifice Maximo approbante
Ex axe hæredem inſtituit.

Neapoli in Cœnobio Patrum Oliuetanorum.

Triclinium diù fui,
Regio pictum cultu:
Reficiendis procul luxu viribus;
Magno iam natu renaſcor ſacrarium
Aris, flaminibuſq; quoquo luxu ornandis,
Eodemq; cultu niteo auguſtius
Inauguratum an. ſal. hum. CIƆIƆCXXXI.

Lu-

Lupijs.

Michaeli Archangelo;
Ne tutela inuicti Ducis
Ob eius decuſſum fulmine ſignum, nec reſtitutum,
Huic templo
Reginæ Angelorum:
Ab Ioannella Maremonte
Bernardini Petrucii Patritii Florentini
Coniuge.
An. CIϽIϽCXXIV. Fundato
Deſit.
Marſilii Maremonte iuſſu Amitæ ſtudioſiſſimo
Io:Baptiſta filius pius obſequens
Nuperum.D.D.
An.Sal.Hum. CIϽIϽCXX.

Neapoli ſub ſigno S. Gaudioſi.

Cæleſti pronubo Gaudioſo
Deſponſæ Chriſto Virgines
Niuei Candorem pectoris,
Facemq; dicant nuptialem.

Neapoli.

CVm triticeus orbis inauguratus feſta pompa quotannis circumferretur per Vrbem ; die octauo, ab Petro Ferdinando de Caſtro Regni Prorege inſtituta ſupplicatio eſt, & ad Sanctiſſimum Numen Religiosè excipiendum, excitatæ locupletiſſimæ aræ, & inſcriptiones, quę ſequuntur.

I.

Deo Vnigenæ, Vnigenæ homini
Feriis amburbialibus Aulam, arcemq; luſtranti
Feſtas aras, feſtam ſupplicationem
Cum gratiis, plauſuq; & bonis iocis
Inſtituere, & peragunt
Lemenſ. Comit. Proreg.
Pietati eius dicatiſſimi.

II.

Myſteriorum maximo
Veſco Numini, Numini poto:
Animata tecto dape, animata tecto patera;
Hoſti Liuoris, Hoſpiti Amoris.
Quisquis profanus, liuidus, impurus,
Procul eſto.

Quæ

III.

Quæ pompa? Triumphus.
Quis ouat? victor Numinis Amor.
Quo bello?
Rebellantis hominis, Indulgentis Dei,
Quo nitet cultu?
Toga candida, tunica coccinea.
Corona ſpicea.
Qui capti, vinctique?
Laruæ, lethum, artes malæ.
Capitolium vbi eſt?
Hęc ara.
Qua litatur hoſtia?
Incruenta, cruenti ad inſtar funeris
Militare carmen?
Io Caritas, Io Caritas.

IIII.

Deus Ecce Deus
Adde preces, adde vota,
Luctus, morbi egeſtas, curę, labor, diſcordia,
Lethiferę peſtes, mala mentis gaudia,
Prodigiaq; & portenta,
Hiſpano ab Imperio, Lemenſium ab Domo
Procul eſte.

V.

Regum auſpici,auſpici Præſidum,
Auctori bonę mentis, Auctori ſcitę mentis,
Largitori copię,Largitori fœlicitatis,
Cunctorumq; vindici votorum,
Accepti memores,ſpe vberes
Lemenſ.Comit.Proreg.

VI.

Caſti Amoris poculo,
Quo benè potus animus
Arcano auctus Numine, dioq; actus flamine
Se maior,meliorq;nil mortale ſapit,
Eucharis,Eucharis.

VII.

In Ara Prinicpis Stilianenſium Equitis Velleris aurei.

Agno Dominatori,
Cognato hominibus Numini;
Cuiu s ſimulacrum,Heroum ceruice demiſſum,
Decoru m eſt Hiſpanis Regibus propugnaculum,
Orbem Chriſtianum luſtranti
Nitido pro viribus cultu
Aras,luſtrationemq; ab Aula ad arcem
Feriis amburbialibus perpetuam:
D.Petus Ferdinand. de Caſtro,& D. Catharina Sandoual
Lemenſ.Comit.Proreg.

In

VIII.

In Ara Sodalitii S.Iacobi.

Hem Deus vnigena,
Cui par vna ara
Mens immenſa omniparentis,
Qui ſinu ab Virgineo
Haram ad brutalem;
A menſa conuiuali.
Ad viſcera mortalium;
Ab alloquio Aligerum:
Ad Crucis vilipendium,
Adi vertice ab olympico
Ad Aram hanc compactilem,
Tibi quam inſtruxit
Sodalitium gentis Iberæ.

VIII.

In Ara Ioannis Montoiæ ab Cardona Summi Conſilii à latere Regentis.

Chriſto Regi
Ferculo amoris triumphanti,
Quo pręcipua Religione habito,
Auſtriacum ſtat,ſtabitq; Imperium,
Cuiq; noſtri Principes,copiamq; & ęquitatem
Pręcipua ſui Regiminis decora debent;
Beneficii memores
Statam,ſolemnemq; in Regia Ouationem
Lemenſ.Comit.Proreg.

Alibi

X.

Alibi cum deferretur per Vrbem.

Huc age,
Deus adeſt ſipario tectus triticeo,
Bona precantibus, mala deprecantibus
Prȩſtò eſt
Humanus, Benignus,
Ne ceſſa in vota, precesq;
Quiſquis es.

Neapoli pro foribus Templi Societatis Ieſu cum Immaculatæ Conceptionis diem Feſtum ſummo apparatu celebrandum curauit.

D. Petrus Gironus Oxunenſium Dux.

VIRGINI CONCEPTÆ
Primigeniȩ labis immuni,
Ob exactam luce illabata noxam; publicamq; peſtem
Inuectamq; primo ab albore vitȩ innocentiam,
Publicamq; ſalutem:
Decretus terris, cæloq; acclamante triumphus
Capitolio in hoc.
Ducum Oxunen. pietate:
Mariæ Victrici pridem dicato,
Eorundem hodie munificentia agitur.

Poſt

Poſt Decretum SS.Greg.XV. de Virgine Concepta.

Fauete linguis:
Intemeratæ ſupplicamus Virgini;
Emmanuele ſupplice:
Summus præiuit Sacerdos;
Io,Virgo,ſine labe concepta,
Plaudit cœlum,
Plaudat tellus,
Vno omnes ore,
Vno concinamus animo.
Io,Virgo,ſine labe concepta,
Reſponſent iuga montium,
Caua reſponſent vallium,
Abditaq; ſenſa pectorum:
Io,Virgo,ſine labe concepta.

Poſt Sanctiſsimum Vrbani VII. Edictum Eadem de re. Ibidem.

Pupulæ Sanctæ,
Inter innocentiæ vlnas conceptæ
Patrum per veſtigia ſuſpenſo prçteruectæ veſtigio,
Perq;ſuorum clades,ſine vulnere,ſine ſtigmate,
Genitrici ſuæ ſupponente manum Deo.
Debitum de angue tartareo,Triumphum
Nuper Summus decreuit Cenſor;
Exorauit Romæ, proſequitur Neapoli.
Emmanuel de Fonſeca,& Zunica
Com.Montis Regii, Prorex.

Ibidem.

Bella geſſit Virgo, bella victrix;
In aluo Genitricis horrenda Orco,
Obſtructo ore anguis tartarei,antè hiatum;
Perſtrictis oculis,antè conſpectum,
Fracto vertice,antè congreſſum,
Ingreſſa aciem,ſine vulnere;victrix,ſine metu vulneris
Quid ni?
Rexit greſſus,direxit tela,manusq;
Omnipotens.

Neapoli in templo Societatis Ieſu,non primis; ſed qui primi declarati ab Vrbano VIII. Martyres ſunt.

Paulo, Ioanni, Iacobo,
Luſtrati Orientis Tyronibus,
Cohortis Ieſu Prætoriæ
Socijs vexilliferis,
Aucto crucis in cruce trophæo.
Triumphus.

Lupijs pro foribus Templi D. Mariæ Tutelaris Popularium, quo Die ad coelum Aſſumpta eſt.

Virgini Deiparæ Bellatrici,
Inuictæ, incruentæ,
Victrici Orci, antèquàm conceptę,
Lethi poſt obitum triumphatrici,
Ad ſummum Cœli capitolium
Curru rediuiuo,
Quadriga inuectæ Cœlitum,
Populi Patronæ Lupienſis
Feſtum cultum, feſtam acclamationem:
Io. Philippus Pratus.
Hoc anno, huic muneri, Aedilis.

In Ferijs Natalitiis Chriſti Ieſu ad Præſepe.

Naſcenti, pueroq; Numini,
Semper genito, ſemel genito,
Immenſa in ara,
Anguſta ſimul hodie in hara, vagienti:
Gentis humanæ
Genitori ſimul, & vindici,
Aram hyeme floreſcentem,
Haram pectoris gemiſcentem.
Chriſtiana Pietas D.

Ibidem.

Deo infanti
Rupe ſub caua gementi,rigenti,
Aëris indigo, quem belluæ reſpuunt,
Aerumnis,ac cruci ſpontè deuoto,
Piaculo ſontium inſonti,
Caduceatori perduellium pollenti,
Gaudia cœli,Imperium Orci,
Sibi, ſuis poſteris promerito,
Cor perduelle ſupplex. D.

Ibidem.

Huc omne genus hominum,
Omnis ætas,
Hac iter ad antrum, par cęlo, diſpar cœlo antrum,
Numen vbi infantulum
Vagit, & imperat,eget,& ditat,gemit,& beat,
Stipatum belluis, ſtipatum milite Numen,
Pacem poſcens lacrymis, bella poſcens,
Maieſtate ſimul, ſimul imbecillitate auguſtum,
Iàm nunc Herebi potens, potens Cœli,
Et nunc hoc agit,vt ſit hominis potens.
Ite mecum alacres, ite pij ad cognati Numinis cunas,
Sed ne ite in caſſum:
Hominem Deus induit, homo,indue Deum.

Ibidem.

Infanti, Aeterno,
Tutelari ſuo,
Salutaribus aſſueto prodigijs,
De ſe, de Laribus ſuis,
De regenito hominum genere
Diuinitùs,& humanitùs merito:
Florentes ſtipulas,
Andreas Caſſetta
Non æmulatus cunas;ſed reueritus.

Ibidem.

Quiſquis ades, expiatus adi,
Cerne oculis, venerare animo
Triumphatorem Phlegetontis Stipitem, *Maurus ad præſepe baptizatus.*
Vagientis olim Dei mutum Signum,
Nouo prodigio
Vitæ largitorem immortalis:
Nempè exploratorem Præſepis Maurum
Eleuata, viuum diceres, manu,
Bis protenſo, bis adducto, Rectore mundi digitulo
Illicit, trahit, erudit:
Mox
Flamine inaugurante,
Architecto Præſepis patrocinante
Initiatum.
XV. Cal. Martij cęlo donat, reclamante Erebo.
Subi, procumbe, adora.

Ibi-

Ibidem.
Quo anno domum, ſedemque Præſepis Mutauit.

Expeditus ad curſum cęlipotens Gigas
Summo lapſus Empyreo,
Hac hæſit meta infantulus,
Emenſuſque
Cælum immotus,
Aegyptum nexus,
Orcum confixus,
Aethram implumis
Patrios penates,nataleſque cunas
Non vno paſſus conſiſtere loco;
Mutata ſubinde ſede
Huc aſportauit, & huc.
Tu ſolo firmus hæres,Cœlo genitus,homo.

Neapoli.

QVo die ſanguis Sancti Ianuarij præcipui Neapolitanorum Patroni per Vrbem delatus,plateam Populi, ſeptemque Nobilium familiarum ſubſellia obit, in conſpectumque ſui capitis datus, diuinitùs liqueſcit, feruet, ebullit.

I.

Martyri immortali
Sancto Ianuario,
Sanguiniq; eius,
Ad aſpectum Capitis, repetendam ob necem
Reuiuiſcenti.
Aram vitalem ſupplicem.
Equites Nili.

II.

Tutelarium maximo
Volenti,pollenti,
Qui fœdus patrocinii
Sanguine olim,non ſagmine,
Et redimitis ictum fecialibus,
Sanguine hodie firmat rediuiuo;
Proceres Nili.
Vice ſua,Patres patrati.

Libe-

III.

Liberatori ſuo,
Certo, perenni, vigili,
Præſidiarias Vrbis ſtationes obeunti,
Exacta peſte, cohibito igne,
Fugato hoſte,
Pulſa non ſemel fame, multipliciq; lue,
Benemerentiſſimo:
Vrbs plaudit, Flamen ſupplicat,
Vices explet ſuas
Platea Nili.

IIII.

Hem ſanguis, ille ſanguis,
Bis ſeptem antè ſæculis
Chriſtigenum teſtis aræ,
Hæret concretus, egelidus,
Saxi inſtar ſilicis,
Ille, viden, ille capiti obuius
(O cœli vim eximiam)
Liqueſcit, feruet, æſtuat, ouatq; rediuiuus,
Triumpho necis obitæ.
Ades, age, pie, & impie
Chriſtum agnoſce, & prædica.

Neapoli.

IN die feſto SS. Ignatij, & Franciſci Xauerij poſt eorum Apotheoſim in externa facie Templi, Societatis Ieſu, quam opere Corinthio, è materia moles veſtiebat columnis, tabulis, carminibus diſtincta.

In plano Coronidis.

Auguſtiſſimo, potentiſſimoq;
Terrigenum, Cælitumq;
Seruatori,
Duci ſuo Ieſu,
Diuis aucta nouenſilibus
Chriſtiana pietas.

In eadem externa facie, ſub tabula SS. Ignatij, & Xauerii, ſub qua ſupra Coronidem quatuor Mundi partes, in quatuor pictę tabulis, binæ ex vtroque latere Diuis ſupplicabant.

IGNATIO LOYOLÆ
&
FRANCISCO XAVERIO.
Pro Chriſti nomine tuendo, importando,
Incomparabilis obſequii Collegę,
A Gregorio XV. Ludouiſio
Feliciſs. Auguſto. Max.
In album Sanctorum vnà relatis.
Orbis Chriſtianus,
Perfidia, ſuperſtitione, nequitia procul habitis,
Supplex.

In arcubus excitatis: quo die à Patribus Societatis Ieſu habita per Vrbem Supplicatio eſt.

I.

Ignatio ſancto,
Sanctoq; Collegæ Franciſco Xauerio,
Amplificata
Duce, & auſpice: Numine Seruatore,
Per maria, per terras omnes,
Re Chriſtiana,
Aræ, trophæa, ſupplicationes.

II.

IGNATIO LOYOLÆ
&
FRANCISCO XAVERIO
Quod artibus probè viuendi, probè aliis faciendi
Explorata luce præluxerint:
Duci ſuo ſignifero, natoq; anteſignano
Societas Ieſu.

III.

Victori hæreſum Ignatio,
Victori idolorum Xauerio,
Victoribuſq; noxarum
Inuictis, Auguſtis,
Triumphato Orco, lue, letho,
Ob meritum virtutis, reſq; eorum geſtas:
Galatius Franciſcus Pinellus,
Dux Acheruntię, Marchio Galatanę.

IIII.

Auctori Societatis Ieſu,
Præcipuoq; ſociorum apud Indos Apoſtolo,
Ob reſtauratum, auctum Orbem chriſtianum
Diſciplina morum, nitore Templorum,
Procuratione ſacrorum,
Sanctiſſimorum veneratione Cinerum,
Celebritate diuiniſſimę Synaxis, & expiationis,
Inſtitutione rudium, magnitudine prodigiorum;
Galeatius Franciſcus Pinellus,
Dux Acheruntiæ, Marchio Galatanæ.

V.

Luſtrate hanc Vrbem fauſti,
Qui luſtraſtis orbem boni,
Non fabuloſi Hercules;
Ignati Pater, Mundi ſalus occidentis,
Tuque ò,maximè ille, Mundi ſalus orientis,
Vt nos,noſtraq; omnia benè iuuetis
Bonis auctoribus auxitis.

VI.

Marmoreos ponant fornices,ſigna aurea, templa,
Quibus ops,pietaſq; pares
Diue tibi Ignati, Diue tibi Xaueri,
Chtiſtiani nominis,Cultores inclyti,
Molem hanc Compactilem pro modo,
Mentem, animumq; ſine modo
Vicinia hęc,aedesq;Compitalitię D.D.

VII.

Adeſte ò,propitii,volentes
Mortalibus inſigniter benefici,
Ignati Pater,tuq;ò Xaueri,
Priſcum Cœli decus,decus nuperum,
Vt morbos viſos,in uiſosq; prohibeſſitis,
Viduertatem, vaſtitudinemq;
Calamitates,intemperiasq; auerruncetis,
Fruges, frumenta,vineta,virgultaq;
Grandire;beneq;euenire ſinatis
Dicitisq; bonam ſalutem, valetudinemq;
Mihi, Vrbi, Regno Parthenopæo.

Quo die ſupplicatio Sanctæ Tereſæ habita Neapoli eſt: pro foribus templi Societatis Ieſu.

I.

Huc age Sancta,huc age incomparabilis,
Sanctorum proles,Sanctorum mater,
Nutritia parentis, parensq; altricis ſedula,
Huc age ad ſponſi thalamum,
Quem ſponſi parant ſocij,
Vt quæ Ioſepho pronubo
Chriſto deſponſa eſt in Cruce pendulo,
Virtute pronuba,& Ioſepho auſpice,
Chriſto iungare triumphanti:
Conſors thori,Conſors gaudij,
Aeterni conſors Imperi.

II.

Tereſæ matri, Tereſæ Virgini;
Quæ poſt homines natos
Vna omnium
Choros duxit virginum,
Duxitq; agmen Flaminum
Ab ſummo iugo Carmeli
Ad iugum eniſæ Olympi,
Pro modo, non pro voto, ſocietas Ieſu.

P.

III.

Tereſæ Virgini Sanctiſſimæ
Magiſtræ officii ſeuerioris,
Quæ vice Deiparæ
Primigeniam eius familiam
Ad formam priſci exempli reſtituit,
Cœnobia ſtruxit, rexit;
Cœleſtibus monitis, legibusq; muniuit.

IIII.

Tereſæ Virgini potentiſſimæ:
Nempe cuius ope, ſuffragioq;
Cohors omnigenum pulſa languorum,
Exacti corporibus hoſtes, Genii,
Terſa labes animis,
Extrema ſub iugum miſſa neceſſitas,
Quod nullo fulmine icta lethi;
Sed Flamine, in cœlum vecta eſt amoris.

Tereſę

V.

Tereſæ Virgini Inuictiſſimæ,
Maximorum præſidio Cœlitum;
Infracti robore pectoris,
Potentiſsimi teſſera Numinis,
Cœlo, terris, inferis,
Reueritæ.
Votorum vindici noſtrorum.
PP.

VI.

Alia in ara alibi excitata:

Ite ad Aras ſupplices,
Date thura, incendite funalia,
Circumferte ſacrum cinerem
O bona pubes:
Nil vrbe tota reſonet,
Niſi Tereſium melos:
Plura, & maiora meretur
Spiritus Tereſę duplex.
PP.

Alia

Alia in Ara, quæ prima occurrit ab Templo Sancti Ioſephi, vnde ſupplicatio proceſsit.

Scitè omninò ſcitè
Meus ab ęde tua exit triumphus,
O meum pręſidium, mea magna potentia,
Sponſe pudoris, Ioſeph,
Nempè tuis ſemper auſpicijs
Militaui, pugnaui, vici,
Cedetq; in obſequium tui,
Quęcunque noſtri veneratio.

Lupijs.

I.
P. Bernardino Realino Caprenſi
Societatis Ieſu.
Studio alienæ ſalutis,
Omnibus, in omnes officijs
Verendo iuxtà, ac iucundo
Ordo, & populus Lupenſis
Parenti benemerentiſſimo.
Vixit ann. LXXXVI.
In Societate LII.
In hac Vrbe XLIII.
Deceſſit ann. ſalutis MDCXVI. Non. Iulii
Sabatho, feſtoq; die Viſitationis Deiparæ,
Quod erat in votis.

II.

Patri Bernardino Realino Carpenſi
E Societate Ieſu,
Pietate,
Doctrina,
Vitæ ſanctimonia,
Ac frugi exemplo innocentiæ
Celeberrimo:
Parenti Benemerentiſsimo
Ordo, & populus Lupientis.
PP.

Cum

CVm in Collegio Neapolitano habita ſupplicatio eſt; quod P. Marcellum Maſtrillum, Sacerdotem Societatis Ieſu, animam in lecto agentem, intempeſta nocte, S. Franciſcus Xauerius, cohortatus ad expeditionem indicam, momento temporis, ad vitã, valetudinemq; ita reuocauerit, ac ſi nunquam ægrotaſſet, cum eodem puncto temporis firmis viribus ſurrexerit, comederit, ſcripſerit, dieque, eam noctem inſequente, ac deinceps, ſacrum puplicè in templo fecerit, omniaque ſui ordinis munera obiuerit, ne veſtigio quidèm relicto inualetudinis.

O ſolis, ſol, Orientis,
Cælo hærens, terraſq; peragrans,
Bis ſenis Chriſtiani orbis ſolibus,
Sol, ritè additus
Summi Cenſoris edicto.
Cuius luce, nox intempeſta dieſcit,
Cuius ope, vita ſiſtit fugiens, reuiuiſcit extincta,
Cuius radio, illuſtratur Eous, Heſperus inflammatur:
Vbique ciuis, peregrinus vbique,
Incrementa ferens, quò rudimenta intuliſti lucis:
Tuere has intimius ædes,
Cultoreſq; ędium Socios,
Pater indiges:
Trade tuas tuis vices, faceſque ſodalibus,
Expediri, quò vocas, accingimur:
Indiſcrimina, in necem alacres, te viam moſtrante, Xaueri.

Lupijs.
Cum in Patronum adſcitus eſt, D. Antonius Patauinus.

O Sole,ſol,illuſtrior,
Emerſus Heſpero,merſus Eoo
Cæleſtis,Dux,itineris,
Luſitane Antoni,Antoni Patauine,
Huc age ad aras ſupplices,
Quas Lupienſes excitant:
Olim tibi, nominiq; tuo;
Nunc etiam deuoti patrocinio.
PP.

Leucopetræ
Cum inauguratum eſt Templum valetud.Soc. Ieſu.Imploratio præſidij S.Ignatij, & S. Franciſci Xauerij.

At ò,Ignati Pater, Luſtrator Heſperi,
Tuq; ò, Xaueri Luſtrator Eoi,
Aſſueti opem ferte tabeſcentibus,
Adeſte ſocijs,
Quos
Ad rem Chriſtianam propolandam
In caſſum,ni valeant,
Sol acce rſit oriens,ſol occi dens.

De-

DEdicatio apparatus, pro foribus Tēpli Domus profeſſæ Societatis Ieſu ad excipiendam Sereniſſimam Mariam Auſtriacam, quo tempore ducta eſt ad Ferdinandum virum, Regem Vngariæ, Ferdinandi Cęſaris filium, Templumque Profeſſorum Societatis Ieſu, Domumque inuiſit, Neapoli.

Auſtriacum tibi ſolem, Auſtriaca,
Pietatis tibi Regiam, Regina,
Auguſtum tibi Numen, Auguſta,
Pro modulo ſuo adornat
Tibi, tuis
Semper, vbiq; deuota
Societas Ieſu.

EAndem templi faciē exornabat biceps Aquia; quæ ſupra Coronam ge ſtabat diuiniſſimæ Euchariſtiæ ſimulacrum, ad indicandum mutuam gratiam, Auſtriacorum erga hoc Sacramentum pietatem, diuinumq; ob id in Auſtriacos patrocinium; quapropter in thorace hęc legebatur inſcriptio.

Foue Aquilam, Auguſta,
Geſtatricem Aræ,
Propugnatricem Aræ,
Arę tutelaris Auſtriadum.

Ab collo Aquilæ, duo pendebant lemmata
Cum his verbis.
Ab dextro latere,
NVMEN EVCHARISTICVM
Ab ſiniſtro
MVNIMEN AVSTRIACVM
In alio lemmate, inter crura Aquilæ
FIRMIVS QVO SIDIVS.
Inſiſtebat enim Sphyngi, quæ fidei
Symbolum eſt.

Cum

Cum exceptus eſt in Collegio Neapolitano Apparatu Hortorum Heſperidum Eminentiſs. Cardinalis Boncompagnus.

Franciſco,
Cardinali Boncompagno;
Archiepiſ. Neapolitano:
Suos, cultori,
Suos, tutelari hortos,
Sapientia.

Cum ad luſtrandos iret vinctos, Antonius Toletus, Dux Albę, Prorex.

I.

Io triumphe, io Libertas,
Præſes æqui, tenax recti,
Vindex ſcelerum, ſpes inſontium,
Dux Albæ clementiſſimus,
Aſtręa venit Comite:
Læuum latus cingit æquitas,
Dextrum cingit indulgentia,
Excluſo iure rigido.

Eodem

Eodem die.

II.

Cælo cernis albeſcente,
Clara dies hic illuxit,
Vberiore radio;
Aurora in veſte roſea,
Spes affulſit in ſmaragdina,
In diſcolore Gratiæ,
Abſq; ſpinis ſpargunt roſas,
Mixtas roſis ſpargunt violas,
Riſuq; terras hilarant,
Albus, audin, Olor occinit,
Ales accinit onocrotalus,
Cantuq; alternant blandulo:
Lætus adi, Summe Princeps,
Dexter adi, bone Princeps,
Adi, bona fauſtus alite,
Redde diem, Dux, Auroræ;
Laxa vinctis compedes.

Eodem die.

III.

Vbi cælo lux incanuit,
Noctemq; albor pepulit;
Iouis altrix viſa lætior,
Viſa mitior Aſtræa,
Vagina enſem condere,
Libram tradere clementiæ,
Cœlo ades, Princeps, auſpice:
Firma omen Indulgentia.
Vincti ſupplices
Precamur.

De-

Dedicatio Apparatus diei feſti S. Ioan. Baptiſtæ Neapoli.

I.

Emmanueli Fonſecæ Zunico, Comiti Montis Regij,
Supremi Italię Senatus Præſidi,
&
Eleonorę Guſmanæ Coniugi:
Proregibus:
Quod pacata, inſigni legatione, Italia,
Otium nobis, vbertatemq; adduxerint,
Clauum Regni auſpicato ſuſceperint,
Auſpicatiùs tractent.
Populus Parthenopæus
Fauſtitatem.

II.

At tu, luſtratoris Agni, luſtrator, & index,
Regum Cenſor, Ioannes,
Tu Reges, cum primis noſtros,
Secundum hos, Proreges noſtros,
Vrbemq;, Regnumq; Sirenum,
Orbemque Chriſtianum,
A morbis viſis, inuiſiſq;
Procul habe.

III.

Emmanueli Fonſecæ, & Zunico
Supremi Italiæ Conſilij, Philippo IV. Rege, Præſidi
Apud Vrbanum VIII. pro Re Hiſpana Legato,
&
Eleonoræ Guſmanæ
Gerendo muneri, ferendo onere compari:
Proregibus.
Marte, manibus poſt tergum reuinctis,
Triumphalem antè currum Pacis acto,
Eorum mage conſilio;
Quam Ducum ferro quæſitæ.
Io triumphum
Populus Parthenopæus: Pietati eorum dicatiſſimus:

IIII.

Emmanueli Fonſecæ Zunico,
Et Leonoræ Marię:
Proregibus.
Accerſita rerum copia,
Deuocata cœlo Aſtræa,
Porrò habita lue,
Sedato Italiæ tumultu
Feliciſſimis.
P. P. P. E. D.

Cum exceptus eſt in Collegio Capuano Illuſtriſsimus Camillus Melzius Archiepiſcopus.

CAMILLO
Cui genus ab domo Melzia ingens,
Aſſueta imperijs domo, ſeù bello, ſeu pace
Iàm tùm Reip. Mediolanenſis clauo:
Rei Chriſtianæ munimento
Semper manu, & conſilio inclyto
Archiep. Capuano.
Innocentiæ Laudibus, Laudibus ingenii,
Et imperandi artibus
Nulli ſecundo:
Duci animorum certiſs. ſuauiſs.
Patrono, Dominoq; ſuo Benemerentiſs.
Societas Ieſu.

Cum excepta à viro eſt in Inſula Prochytæ Hieronyma Auria.

Felices ter, & amplius
Hieronyma Auria,
Tuq;ò Franciſce Dauolos Aragoniæ,
Magnis orti Parentibus,
Magnis Auis;
Arbitris Pelagi, Belli Paciſq; arbitris,
Quos Ænea nutrix Prochyte,
Prolis præſaga maſculæ,
Frugi præſaga oti,
Potentioris Imperi
Tęda iungit nuptiali.

Neapoli.

Munitam à Comite Oliuarens: Socero viam,
Aquis exhilarat perennibus,
Auerſumq; eius à ſole lapidem,
E regione, ad aſpectum collocat ſolis,
Tot reueretur Patrem linguis,
Quot manant ora riuis.
Emmanuel Fonſeca, & Zunica Com. Montis Regij
Prorex
An. magiſtratus eius V. Sal. Hum. CIↃIↃCXXXV.

In Inſula Ilba.

Philippo. IV. Rege
Stationem hanc nouam,
Opificio inſignem naturæ; ſed immunitam,
Magno ſumptu, maiore auſu,
Munire aggreſſus, Alfonſus Primentellus Com. Ben.
Rudimenta tantum poſuit;
Donec
Emmanuel de Fonſeca, & Zunica Com. Mont. Regii VII.
Italicos inter tumultus, curaſq; martiales
Audentior;
Edomitis cautibus, ducto muro, excitatis turribus
Inacceſſam hoſtibus, tutam ſuis reddidit.
Ann. CIↃIↃCXXXVI.

Capuæ

In Inſula Neſidos.

Philip. IV. Rege
Fractis in Nomen Auſtriacum
Tota ferè Europa coniuratis:
Multo hinc pecuniæ, multo militum
Terra, mariq; ſubſidio:
Rem aggreſſus naualem;
Quod oppoſita Auſtris Parthenope,
Nulla poteſt fida nauium ſtatione muniri,
Priſcam hanc Romanorum molem
Vetuſtate labefactam;
Recenti mole reparat
Emmanuel Fonſeca, & Zunica, Com. Mont. Regij,
Prorex.
An. Mag. VI. ſal. hum. CIƆIƆCXXXV.
Curante, opemq; ex quadrante conferente
Vincentio Macedonio,
Marchione Rugiani, Neſidos Dño.

Baijs

Baijs.

Philippo IV. Rege
Baiani ſinus portum intutum ;
Quod Arx præſidiaria iuſto excelſior
Nec lædere infenſas, nec tutari ſocias naues poſſet,
Famaq; de hoſtium claſſe huc appulſura, crebreſceret,
Acrior in periculis.
Emmanuel Fonſeca,& Zunica Com. montis Regii VII.
Prorex:
Non portum corrupit, ſpem corrupit hoſtibus,
Continuòq;
Tutiſſimum, vt redderet,
Geminas hinc, atq; hinc inſtar forcipis,
Ipſius in ore ſinus turres excitauit.
An. ſal. hum. CIϽIϽCXXXVI.

Cæſari.

Philippi III. Philippi IV.
Conſiliario Regum.
Alteriſio.
Quod in ſumma inopia rei frumentariæ,
Exhauſtis horreis,
Prohibente Commeatum tempeſtate diù ſæua :
Votis omnium Præfectus datus annonæ,
Curatione ſolertiſſima, comportato frumento,
Copiam, ac vilitatem breui præſtiterit.
Parthenope
An.Sal.Hum.CIϽICXIII.

In Monte Caſino.

Ignatio Loiolæ S. I. F.
In hac ara ad faciendum adornato,
Seſeq; ad calcem aræ expianti,
Diuoſq; de more imploranti
Beatum inter agmen
Nitidior etiam viſus Ozius eſt,
Qui exuta Patauij mortalitate,
Primitias Societatis Cœlo intulerat.

Paulæ in Brutijs.

Excitatis
Propugnationi ciuium Turribus,
Præſidio Mænibus,
Diſciplinis,ac Religioni Societatis Ieſu Collegio,
Commodo,& ornatui,quadro lapide vijs,
Hunc quoque fontem
Publicæ oblectationi,& Vſui:
Perennis beneuolentiæ teſtem
Excitauit:
Thomas Franciſcus Spinellus
Magn.Regni Iuſtitiarius:Status Imperij Neapoli Conſiliarius,
Statariæ Brutiorum Militiæ Dux
Marchio Fuſcaldi.
Ann.Sal.Hum.CIƆIƆCXXXV.

In ædibus Andreę de Ianuario Reg. Conſil. & Reg. à latere, Ducis Cantalupi.

Vt audiendi, dicundi iuris aſſiduitas
Intermiſſa breui diu vigeat,
Ab lateribus Muſæi,
Illinc ad meridiem, Solemq; hybernum
Specula:
Vnde ſubiectam Vrbem,
Pelaguſq; Inſulaſq;
Non te aſpicere credas: ſed tangere,
Hinc ad ſeptemtriones,
Auramq; vmbramq; æſtiuam,
Redimitus floribus,
Inſtructus fontibus,
Veſtitus marmore,
Diſtinctus columnis,
Refertus Heroum Statuis,
Exhilarando, excitando ingenio
Receſſus:
Fruere & abi.

Hæc ara, hæc area, hęc apſis
A Gentilibus
In familię ſacellum
Concinnata;
Acceptum ab Normandis Principibus
Ciuitatis, ac Leſinæ Dei gratia, Comitibus,
Religionis defenſæ decus,
Maieſtate loci reddunt auguſtius:
Excolit, æternatq;
Legatum à Michaele Gentili Iuspatronatus;
A Dionora Sanctacrux Coniuge ſanciendum;

Ab

Ab eaq; & filijs
Vicentio,Friderico,Io:Donato,
Maiorum quoque Legatis conſultum eundo
Aureorum millium IV.Sanctum,
Compoſitumq; à Friderico an.Sal.CIƆIƆC.
Impoſitis piacularibus in hac ara Sacris
Quotidie quatuor,
Eoq; abrepto,
Eleonora Cardona
Studiis, cineribuſq; Viri incubans
Exequitur an.Sal.CIƆIƆCXXII.
Tum tu,tempus edax,
Pactum conuentum:
Marmore hoc teſte
Firmum fixum patere,
Vt quæſita
Deo pietas,
Templo ſpecies,
Generi ſuffragium
Perennent.

Ex Teſtamento Caroli Gagliardi Ducis Montiscalui.

Sacello huic expoliendo
Aureor:mille quingentùm impenſa eſto,
In eoq;
Anniuerſaria ſacra quotannis octo
Pro parentibus:Io:Friderico,& Iſabella Sancta,
Pro Laura Pignatella Coniuge,
Pro ſe,
Proq; Camillo,Cæſare, Scipione,Mario
Fratribus,

Tum quotidie
Piacularia ſacra duo pro ſe,pro ſuis,
Et IV. non. Nouembris
In aris priuilegio expiatoriis:
Sacra item piacularia quotannis XX.
Pro ea opera,curaq;
Annuos aureos centum quinquaginta quinque
Collegio Flaminum maioris Eccleſię
Legauit.
An Sal.Hum.

Vt ſuam in Deum Religionem
Teſtatus eſt
Hieronymus de Iuliis
Legato aureor.mille,
Quibus
Hoc in templo ſacellum adornari,
Annumq;cenſum aureor.VI.& XXX.
Sacro,
Pro ſe,
Coniuge,
Parentibus,
Fratribus,
Filiis,
Conſanguineis
Quotidie perpetuum faciundo
Stabiliri mandauit,
Sic ſuam in Parentem optimum pietatem
Lapide hoc teſtatam voluerunt:
Octauianus, Auguſtinus, Franciſcus
Filii hæredes,
Itemq; Carolucius filius
Mandato eius abundè obſecuti
An:Sal.CIↃIↃCXXI.

Iaco-

Iacobus de Marra
Militari acclamatione
Tonitru,
In Hirpinis, Samnioq;
Dynaſta.
Afris,capta vrbe,in ciues graſſantibus,
Milite ſuo inſtar fulminis obuius,
Facto impetu,impetum fregit,
Audaciorq;
Cœleſtis interuentu Ducis Michaelis Archangeli,
Et D.Agnelli tutelaris Vrbis
Victricia ſigna ferentis,
Perterrefactos vrget,repellit,eiicit,
An:publicæ ſalutis IↃLXXIV.
Ea propter
Senatus Conſulto
Excitatum Michaeli Templum:
Actæ Agnello gratię:
Nouus propugnatori decretus honos;
Vt ſeruatę Parthenopes inſignia
Perpetuo nexu,
Seruatoris adderentur inſignibus:
Tum
Pro egregij monumento facinoris,
Hic vbi fortuna confixa hoſtium;
Defixus animis immortale beneficium;
Strato marmori,clauus infixus æneus;
Conquerente Fama,
Donec
Philippo VI.Rege
Emanuele Fonſeca, & Zunica Com. Montis Regij
Prorege,
Vindici libertatis parenti,

Tro-

Trophæum hoc beneficij vindex
Patria P.
An Sal.Hum CIↃIↃCXXXV.

Chriſtophorus Morales,
Bonæ
In Virginem genitricem,genitumq; Numen
Frugis,
Aedis huiuſce Sacrarium
Bonis omnibus hæredem fecit.
Hæreditas XX.M.fuit,
Cauitq; vt ex fructu
Euchariſticum prius tabernaculum
Aureor.M.X.
Poſtmodum ſacra veſtis perpetuo adornetur,
Ne debitus myſteriis cultus vnquam obſoleſcat.
Tum tu,Lapis,
Has ante fores excuba,
Mone Aedituos,
Mone Præfectos Officii.

Sacellum hoc
A Nicolao Maiorano Reg. Conſil.
Pro ſe,ac poſteris
An. CIↃIↃXXXVIII.
Attributo cenſu exornatum,
Quod labentibus annis
Nullus ſupereſſet
Tantæ ſtripis cum ſpe ſobolis
Nepos;
Horatius Maioranus
Eiuſdem familiæ gentilis,

Eques

Eques Hieroſolymitanus,
Commendator S. Ioannis Caſtrouillani,
Tribunus militum in Belgio,
Plurimis
Ob rem Hiſpanam
Cicatricibus,
Aduerſo Corpore inſignis,
Neapoli emeritæ militiæ ſtipendiarius,
Pro ſe,pro ſuis,
Aurelio,fratre Germano.
Thoma,Marchione Sangeneti.
Antonio,& Franciſco,Fratris Filiis,
Poſteriſq; eorum,
Expoliuit,
Cenſum auxit,
Exornauit.

Sancto Carolo Borromeo
Sacellum hoc,
Aramq;
Pauli V.priuilegio
Piacularem,
Empto ſolo,attributo cenſu
Impoſitoq;
Pro ſe,pro ſuis
Quotidie Sacro:
A Fund.erexit,exornauit
Sancius de Strada Aſturenſis
Marchio Criſpani:
Aſturia,Neapolim
Cum Prorege Io: Zunica Com. Mirandæ
An.Sal.CIƆIƆLXXXVI.
Aduena.

Id quod,
Et publicis tabulis
A Io.Baptiſta,& Iacobo Ariemma
Confectis,
Et marmore hoc
Teſtatum voluit.
An.Sal.Hum.CIƆIƆCXXX.

Petrus Toletus,
Marchio Manſedæ,
Equeſtris ordinis S.Iacobi,
Prætor Vrbis Neapoli,
Philippo IV.Rege,
&
Antonio Toleto Duce Albà Prorege.
Singulari humanitate, ac pietate Vir.
Vinctis,inualidis,indigentibus,
Societate Ieſu,
Cui vtraque vinctorum demandata ſalus eſt,
Exorante;
Multam famoſarum addixit
Quæ per Vrbem
Poſt habito Edicto
Sella geſtarentur:
Vt vulgati corporis turpe lucrum
Salutare ægrotis
Sanctum Deo ſit.

Io.

Io:Baptiſta Franciſcus
Marchio Poſtilonij
Sacello huic
Sibi,ſuis poſteris ſepulcrali
Octodecim aureor:cenſum conſtituit;
Vt tria in eo,quot hebdomada,
Sacra piacularia fiant
Pro gentilibus ſuis vita functis,
Qui ſunt,qui erunt:
Præterea
Virginibus huiuſce Oppidi
Leg itimo matrimonio ſuſceptis
L: Aureos,dotis nomine,quot annis,
Ductis ſortibus,die feſto S.Laurentij,
Eoq; die
Præter ſolenne Sacrum diei feſti
Sancti Spiritus,Sacrum alterum
Vt ſuo præſit numine ſortitioni.
Sic effare lapis.
Traditum
An.ſal.Hum. CIƆIƆCXXX.
Obtinete Ius Poſteri
Ad annum vſque,& vſque,& vſque
Ignoratum Nepotibus,
Poſteriſq; ſine fine Nepotum,
Ignoratum aſtris annum.

Huc ciuis, huc peregrine
Patet omnibus exutum ſenio valetudinarium,
Liberalitate Deiparæ,
Munere Ciuitatis;
Quæ
Vetuſtate Conditoris,
Cœli ſalubritate,
Patrum claritudine,
Emporij Celebritate,
Nobilitate Gymnaſij,
Præſtantia ingeniorum,
Tutelaris Apoſtoli patrocinio
Inclytas;
Acceptam felicitatem promouet,
Accitas Religioſorum familias
Tecto,igne,aqua fouet,
Nuperamq; ab Ioanne Dei
Curandis inſtitutam ęgrotis.
Haſce in ædes,
Curamq; Noſocomij
Sedula inuehit,
Annuos cccl.aureos de ſuo addit;
Sed ea lege,
Si Vrbem incolant,
Si ægrotis operam nauent;
Secus ſi faxint,
Seu ſponte,ſeu iuſſi,
Poſſeſſione cadant:
Hæcq; ipſa,
Et quæcunque data,legata,
Quoquo iure acquiſita;
Magiſtratus Vrbis,
Præfecti Templi,
Nullo addicente prætore,

Vin-

Vindicanto:
Sic pactum, conuentum;
Sic publicis cautum tabulis,
Quas
Notarius Iacobus de Iacobo
An. ſal Hum. CIↃIↃCXIV.
Aprili menſe confecit:
Marmor hoc teſtatur
Non vltroneus teſtis marmor:
Virgini Annuntiatæ
Ab S.P.Q.S. Fundatoribus
P.
An. ſal. Hum. CIↃIↃCXVIII.

Nympham
Aquis irriguam,
Frugibus nitidam,
Ciuibus olim Celebrem:
Viciſſitudine dein fœda,
Seu ferro, ſeu lue,
Obliterati Oppidi, deforme buſtum
Illuuie, ſterelitate, ſolitudine
Vaſtam:
C poſt annos
Feliciore ſidere:
Frequentibus animatam aduenis,
Vrbani VIII. reuiuiſcentem auſpicijs,
Suis renaſcentem excepit vlnis,
Antiquiſſimæq; reſtituit ditioni
Franciſcus Caetanus
Dux Sermonetæ VIII.
An. ſal. Hum. CIↃIↃCXXX.

Ioanni Baptiſtæ
Caſtrouill. Duci, Comiti Cariati
Spinello
Inter obſequium, imperiumq;
Per ancipitia munerum,
Per ſumma honorum
Sine offenſione tranſgreſſo,
Hiſpani Exercitus prouido, nec cupido Quæſtori,
Noua, præterq; exemplum, poteſtate,
Fiſci Conſeruatori:
Legationibus
Ab Rege Catholico Ferdinando,
Ad Venetos, ad Rom. Pontif.
Functo, temporibus difficillimis, feliciſſimè,
Summæ totius in Italia,
Seu bello, ſeu pace:
Maſſimiliani Cæſaris Generali Vicario:
Litibus inter ciues dirimendis,
Finibus inter Reges diuidundis,
Aequo, induſtrio, fortunato, ſequeſtro:
Caroli V. ſtatus Imperij Conſiliario:
Immortalibus meritis.
Immortali Regis munificentia
Inſigni,
Vt ipſe, poſteriq; eius
Portorii huiuſce vectigal
Perpetuum poſſideant:
Portitores
Regio ipſi iure imponant;
Thomas Franciſcus Spinellus
Marchio Fuſcaldi
Tantę ſtirpis ſoboles, & hæres;
Primogenitum filium, de eius nomine nuncupatum,
Quaſi viuum, ſpiranſq; monumentum

Di-

Dicauit:
Et marmor hoc
Cuſtodem Iuris,
Teſtem voluit eſſe obſeruantiæ
An.ſal.hum.CIϽICCXVIII.

Marſilius Perutius
Callienſis
A Paulo V.Pontifice Max.
Archiepiſ.creatus Theatinus:
Legatione functus perhonorifica,
Delatis
An ſal.CIϽIϽCXIX.
Ferdidinando
Philippi III.Hiſpan.Regis filio
Cardinalitiæ dignitatis inſignibus:
Altiuſq; deſtinatus,
Pari ſuſtollentibus niſu
Virtute,gratia,eruditione,merito;
Sua in Principes obſequia,
Principum in ſe ſtudia,
Occupante,ſibi ſurrepta,fato,
Traſmittenda poſteris,
Marmori credidit.
An.Sal. Hum.

PHILIPPO IV. REGE
Emmanuel de Fonſeca,& Zunica
Eques S. Iacobi, tredecemuir, et
Commendator,
Comes Montis Regij VII.
Fuentes II.
Dominus domorum de Vlloa, de Viedma,
De Ribera,& Arauxo,
Conſultor Status,
Præſes Italiæ,
Ac ſimul Neapoli Prorex.
Munitis
Portubus,Vrbibusq; inualidis:
Auctis militiæ ordinibus,
Firmata ſubſidiis Gallia Ciſalpina,
Capta
Inſula S.Margaritæ
Prohibitis acceſſu,ingenti claſſe,hoſtibus:
Ne deeſſet ſecuritati voluptas,
Voluptati felicitas:
Coronata ære bellico, Arce noua
Fontibus extrinſecùs coronauit
Perennis aquæ,& ſalubris
An.Sal.Hum.CIↃIↃCXXXVI.

Iuxta

Iuxta marginem foſſæ Arcis nouæ, in capite Plateæ Coronatæ, fontem Comes Oliuarenſ. Prorex aperuerat, qui ſtatim exaruit, hunc Comes Montis Regij reficit, perenneſq; inducit aquas.

PHILIPPO IV. REGE
Sitientem diù fontem,
Aridoq; referentem marmore
Comitis Oliuarenſ.
Beneficentiſſimi Proregis nomen,
Deq; vrbe deq; regno hoc Benemerentiſſ.
Importato explet flumine,
Affluentiaq; aquarum
Beneficentiam expreſſit Soceri.
Emanuel Fonſeca, & Zunica
Com. Montis Regij VII. Prorex
An. Sal. Hum. CIƆIƆCXXXI.

Mariæ Auſtriacæ
Philippi Regis Hiſpan. IV. germanæ ſorori
Proficiſcenti ad celebranda,
Cum Ferdinando, Ferdinandi Cæſaris, filio
Rege Hungariæ, & Bohemiæ,
Sancta Madrithi connubia:
Intercluſoq; per Galliam Ciſalpinam, tranſitu
Peſtifera, prodigioſæ feritatis, lue;
Non vitio aëris;
Non ira Cœli;
Sed inhumanis ab hominibus,
Ad internicionem proſeminata generis ſui,
Neapolim delatæ;
Expeditum, fauſtumq;
Per Campanos, Apulos, Daunos, Samnites,
Præbuit, vectæ quadrigis, iter milliarior: XL. ſupra CC.
Doctis ferre Pontem
Truento, Vomano, Heluino, Fiterno,
Septemq; aliis
Turgentibus, hyeme ſæua, fluminibus:
Ferdinandus Afan Enriques de Ribera
Dux Alcalanor. Prorex
Sequeſtri ſolertia
Antonii Suares Meſſiæ Marchionis Vici
Præfecti Viarum
An. ſal. hum. CIƆIƆCXXX.

In

In Oppido Mirabello in Aedibus Dominici
eius oppidi Marchionis
Hieronymi Naccarellæ filij.

Maria Auſtriaca
Philippi Reg. Hiſpan. IV. germana Soror,
Deſponſa Regi Vngariæ, & Bohemiæ Ferdinando,
Ferdinandi Cæſaris filio:
Vitandam ob peſtem,
Quæ
Nullo infortunio, aut Cœli intemperie,
Sed furialibus hominum artibus
Galliam Ciſalpinam deuaſtabat;
Inſuetum per iter;
Ductu Antonij Ducis Albæ Toleti,
Neapolim vecta triremibus;
Inde per Dauniam, Samniumq; Anconam:
Perq; Adriam, claſſe petitura Germaniam;
Huc diuertit;
Oppidumq; pulchritudine nominis, & agri admirandum
Pulchrius reddidit, & admirabilius
An. ſal. hum. CIƆIƆCXXX.
Ianuarij.

Ibidem.

Quiſquis es
Auguſtum reuerere cubiculum:
Nocturno,diurnoq; inaugurauit hoſpitio
Maria Auſtriaca,
Regio ſanguine,Regiis nuptiis,
Fulgore Cæſareæ Maieſtatis
Auguſtiſſima.

PHILIPPO IV. REGE.
Imponendum claſſi militem,
Plures ſemper dies,interdum menſes
Tantum ſub tecto;
Nauali in hoc cætera vaſto
Languentem:
Martemq; mortemq; acerbè deteſtantem,
Quod non in acie miles;
Sed velut intra caulas ſterneretur,
Speculatus
Emmanuel Fonſeca,& Zunica Comes Montis Regii
Prorex
Statiua hic
Fontibus, lectis,
Cæteriſq; ad vſum,ad incolumitatem neceſſariis,
Celeritate admirabili,opportunitate incredibili,
Multo publicæ,multo priuatæ rei commodo
Adornauit,
An.ſal.hum.CIƆIƆCXXXII.

Ibidem

Ibidem.

Philippo IV. Rege
Ne ſtratus humi miles,
Situ,& illuuie tabeſcens,
Lue, non enſe plurimus hic cadat;
Foros,fontes,lectos,aream
Belli,paciſq; ſedulus muneribus
Compoſuit,
Emanuel Fonſeca,& Zunica Comes Montis Regii
Prorex
An ſal.hum. CIↃIↃCXXXII.

Philippo IV. Rege
Viam
Ab Daunia, Apulia, Iapygia
Ora Adriatici, & Ionij
Neapolim;
Belli paciſq; opportunitatibus celebrem,
Alluuionibus merſam.an. CIↃICXXXII.
Multis locis,nec equo,nec lintre ſuperabilem;
Quod incruſtati
Veſuuiano cinere,
Monteſq; colleſq;
Aquam celeſtem diù creberrimam,illibatam reiicerent,
Bellicis quanquam intentus apparatibus,
Cum tota fureret Mars impius Europa;
Ne quam ſui muneris partem omitteret,
Exhauſtis aquis,repletis hiatibus,
Tutamento Regni, & Annonæ
Celebriorem reddidit
Emanuel Fonſeca,& Zunica Comes Montis Regii.
Prorex:
Præfecto Viarum
Antonio Suares Meſſia Marchione Vici.

Monumentum inter Herculanum, Pompeioſq; Veſuuiana eluuione obrutum.

Viam à Neapoli ad Regium
Perpetuis antea latrocinijs infamem,
&
Conflagrati Veſuuij ſaxis impeditam,
Purgato inſidijs loco,
Exæquata planicie,
Latam, rectamque duxit
Aere prouinciali
Paraſanus Ribera Alcalanorum Dux
Prorex.
An. Domini CIƆIƆLXIII.

Idem reſtitutum.

At O.
VIII. & LX. poſt anno
XVII. Kal. Ianuarii
Philippo IV. Rege
Horrificus, Ferus ſi vnquam Veſuuius,
Fumo, Flammis, concuſſu, cinere, boatu, eruptione,
Cœlum, terras, mare conturbans
Nec faſces, nec nomen tanti viri eſt reueritus:
Quippe
Exardeſcente cauis ſpecubus igne,
Igneſcenſq; furenſq; irrugienſq;
Exitumq; eluctans coërcitus àër,
Nec iam àër, ſed ignis,
Immani erupit hiatu poſtridie;
Eiaculatus trans Helleſpontum cinerem,
Seſeq; funeſtamq; colluuiem

Iugo

Iugo montis exonerans,
Pompeios, Herculanum, Octauianum,
Perſtrictis Reatina, & Porticu,
Siluaſq; Villaſq; Ædeſq;
Momento ſtrauit, vſsit, diruit:
Luctuoſam præ ſe prædam agens,
Vaſtumq; triumphum:
Perieratq; hoc quoque marmor altè ſepultum
Conſultiſsimi monumentum Proregis,
Ne pereat
Emanuel Fonſeca,& Zunica Comes Montis Regii
Prorex.
Qua animi magnitudine publicæ calamitati,
Ea priuatæ conſuluit
Extractum funditus gentilis ſui lapidem,
Cœlo reſtituit,
Viam reſtaurauit,
Fumante adhuc & indignante Veſeuo:
An.ſal.hum.CIↃIↃCXXXIV.
Præfecto Viarum
Antonio Suares Meſsia Marchione Vici.

Admonitio ad vitandam Veſeui lucem.

Poſteri Poſteri
Veſtra res agitur
Dies facem præfert diei, nudius perendino;
Aduertite:
Vicies ab ſatu Solis,
Ni fabulatur hiſtoria,
Arſit Veſeuus;
Immani ſemper clade hæſitantium;
Ne poſt hac incertos occupet,
Moneo:
Vterum gerit Mons hic

Bitu-

Bitumine,alumine,ferro,ſulphure,auro,
Argento,nitro,aquarum fontibus grauem:
Se riusocyus igneſcet,
Pelagoq; influente pariet,
Sed ante parturit;
Concutitur,concutitq; ſolum,
Fumigat,coruſcat,flammigerat:
Quatit aerem,
Horrendum immugit,boat,tonat
Arcet finibus accolas:
Emica,dum licet,
Iam iam enititur, erumpit,
Mixtum igne lacum euomit,
Præcipiti ruit ille lapſu,
Seramq; fugam præuertit:
Si corripit,actum eſt,perijſti
An.Sal.Hum.CIϽIϽCXXXI.
VII.kal.Ianuarij
Philippo IV. Rege
Emanuel Fonſeca, & Zunica Com. Montis Regij
Prorege.
Repetita ſuperiorum temporum calamitate,
Subſidiiſq; calamitatis
Humaniùs quò munificentiùs;
Formidatus, ſeruauit,
Spretus,oppreſſit incautos,& auidos,
Quibus lar,& ſuppellex vita potior:
Tum tu,ſi ſapis,
Audi clamantem lapidem,
Sperne larem,ſperne ſarcinulas
Mora nulla,fuge:

Vc

Vt ora Pauſilypi amoeniſſima
Noctuq; interdiuq;
Expers fruare ſolicitudinis,
Rhedaq; nauiculaq; tutus commees,
Laxato,productoq; huc margine:
Strata ad iugum collis via,
A Piratarum incurſione
Duplici tutatus munimento eſt,
Emanuel Fonſeca & Zunica Com.Montis regij
Prorex,
An.Magiſtratus IV.
Sal.Hum.CIƆIƆCXXXIV.

Excitatum
An.CIƆIƆLXXXIX.
Regalis fundatione patrocinij,
Pro regali auctoritate Com.Mirandæ
Proregis,
Aere militari Peditum,Equitumq; Hiſpanor:
Opera,niſuq;
F.Petri Trigoſi,
Et
Aloyſij Henriquez Hiſpanę Legionis Tribuni,
Cœnobium hoc;
Solitudini, orbitati, educationi mulierum Hiſpan.
Vt pro libito
Aut nubant,aut ſe diuino mancipent obſequio;
Ne ſuus deſit auctoribus honos,
Nec auctores requirat operis poſteritas
Philippo IV.Rege.
Emanuele Fonſeca,& Zunica Com. Montis Regii
Prorege

An-

Antonius Suares Meſſia, Marchio Vici
Ioannes de Montoia,
Et
Aloyſius Brauus de ſupramonte
Cœnobij rectores;
Obliuionis Vindices,
Marmor hoc ſtatuerunt
An. ſal. Hum. CIƆIƆCXXXIV.

Philippo IV. Rege
Sarnum
Magna ſe mole à fonte agentem:
Auctum eundo,
Oppoſitaq; ſubſtructione molarum
Intumeſcentem;
Perq; agros, perq; ſata latè palantem,
Conatibus
Alfonſi, Friderici, Ferdinandi
Contumaciùs obluctatum;
Expedito ad Curſum alueo
Ponte frænatum cœmentitio
Rexit,
Incoliſq; Agriſq; proſpexit;
Emmanuel Fonſeca, & Zunica Com. Montis Regij
Prorex
An. ſal. Hum. CIƆIƆCXXXIII.
Præfecto Viarum
Antonio ſuares Meſſia Marchione Vici

In

In Salinis Agri Barulitani.

Ne poſthac
Proximi fluminis alluuionibus
Vitientur ſalinæ,
Denſatumq; denſandumq; in ſalem pelagus
Inimico liqueſcat amne,
Reſq; langueſcat militaris,
Cui
Vetere Romanorum inſtituto,
Ex ſalaria annona, ſtatutum ſtipendium eſt
Bellicos inter tumultus:
Mole hac
Vtriq; occurrit incommodo,
Emmanuel Fonſeca, & Zunica Com. Montis Regij
Prorex
Curante
Fabio Capycio Galeota
Reg. Conſil. Aduocato Fiſci & Reg. Cam. Præſide
An. Sal. Hum. CIϽIϽCXXXV.

Neapoli
In porta Domus D.M. Annunciatæ.

Philippo IV. Rege
Antonio Aluares Toleto Prorege.
Ad pia Virginum examina
Alenda ſalubrius,liberalius,
Laxauere ædium anguſtias,
Duxere ad meridiem ambulationes,
Relictis
Ad proſequendum indicibus;
Ad abſoluedum,
Pietatis in deiparam Annunciatam,ſtimulis,
Præfecti annales
Ann. MD.CXXVIII.

Philippo IV. Rege
Antonius Aluares Toletus Dux Albæ
Prorex.
Purgandæ peſtis,
Probandæ valetudinis
Stationem,
Vitandum ob contagium
Ab continente, oraq; Pauſilypi
Æſtiuis caloribus celeberrima:
Huc in Inſulam
Amplificatiùs, ſalubriùſq;
Ablegauit.
An. Magiſtratus II.
Tentatæ peſtilentia Trinacriæ primo
Sal. hum. CIϽIϽCXXVI.

Mer-

Mergelline in margine littoris.

Vt hic etiam oblectentur,
Quibus parum eſt amica nauigatio,
Marginem hunc anguſtum, & obliquum,
Laxatum direxit
Antonius Aluares Toletus Dux Albæ
Prorex
An. magiſtratus III. Sal. Hum. CIↃIↃCXXVII.

Philippo IV. Rege
Antonio Aluares Toleto Duce Albæ Prorege,
Quod Aquam Toletam
A fonte Aureolarum Fixo,
Pluribus auctam fontibus
Itinere milliariorum XXXXX.
Romanorum inſtar Cæſarum
Perforatis montibus,
Aequatis Vallibus,
Opere alijs inſuperabili,
Molendo ad muros Vrbis frumento,
Euitato ingenti ſumptu,
Crebroque periculo vectionis,
Celeritate mirabili deriuauerit,
Decuſque inſigne, & iuge commodum
Ad incomparabilem ſui temporis copiam
Addiderit:
Perennem lapidem
Teſtem publicæ, & immortalis obſeruantiæ
Parthenope P.
An. magiſtratus eius VII.
Sal. Hum. CIↃIↃCXXIX.

Ad pontem ſublicium Liris.

Philippo IV. Rege
Antonius Aluares Toletus, Dux Albæ
Prorex.
Re Hiſpana
Feliciter domi, foriſq;
Geſta:
Lirim
Tempeſtate imbrifera,
Lubrico per paludes aditu,
Tranſuectu ancipiti
Arbores, cauteſq; immani voluentem alueo,
Indignantemq; iugum
Magno viæ, regni, viatorum compendio
Ponte domuit ſublicio,
Socijs non hoſtibus peruio.
An. Magiſtratus VII.
Sal. Hum. CIↃIↃCXXIX.

Philippo IV. Rege
Antonio Aluares Toleto, Duci Albæ
Proregi:
Ob tutatam
Claſſe, ære, exercitu
Rempub. Genuenſem,
Exactos hoſtes
Spe fruſtratos rerum nouarum:
Porro hinc habitum bellum,
Munitam arce ſtationem nauium,
Conſultum annonæ,
Vrbis conſultum venuſtati,
Accerſita longius

Ad

Ad molas, ad fontes
Aqua perenni
Æternitate nominis eius,
Pro ſe, pro alijs.
Parthenopæa Pietas.

Philippo III. Rege.
Petrus Fernandez de Caſtro Lemenſium Comes
Prorex,
Paluſtres aquas, mephitim, & Gorgonem
Fabuloſa Gorgone nocentiores,
Quæ duplici capite,
Bicipitis inſtar Hydræ,
Immenſiſq; voluminibus
Vniuerſam hanc regionem
Eluuione, tabe, ſterilitate
vaſtauerant
Herculea vi, ac felicitate,
Compediariis emiſſas in mare lacunis
Exſiccauit,
Campoſq; diù emortuos
Vitali ſalubritate Cœli,
Soli vbertate
Donauit:
Vt hic etiam Campaniæ felicis amœnitas
An. Magiſtratus III.
Sal. Hum. CIƆIƆC.

Phi-

Philippo IV. Rege,
Petrus Fernandez de Caſtro Lemens: Comes
Prorex,
Veteres aquarum Euripos,
Tortuoſos,implicitoſque,
Et
Illuuie obſtructos,
Spemque omnem meſſis
Aquis innatantibus
Obruentes,
Altius excauatos,ac directos,
Connexoſque cum nouis,
Ad quamtamlibet aquam egerendam,
Frugi ſolertia
Explicuit.
Alueumque nuperum labore effoſſum audaci,
In Mediterraneum victor intulit:
Vt vaſta palus frugibus niteſcat,
Sentiatque Parthenope copiæ auctorem ſuæ
An. Magiſtratus. III.
Sal. Hum. CIƆIƆC.

Philippo III. Rege
Petrus Fernandez de Caſtro Lemenſium Comes
Prorex,
Pigras aquas, exuberanteſque,
Perque agros,& ſata ſtagnantes
Altius effoſſa humo,
Directoque alueo mill:paſſum XXX.
Deuexitas loci pronas agit,
Quarum decurſu

Pul-

Pulſa fame
Statuta ſaturitas,
Ac
Præſtita Neapoli perennitas,
Cui
Poſthac annonam:
Modo aquis iter ſeruet expeditum
Abunde ſufficiet.

De aqua ab radicibus Veſeui deuecta Neapolim.

Aſpicio iterum hanc lucem
Ereptaque rogo reddor Cœlo
Arſiſſe terras credideram Tito rerum domino
Quando
Supra CIↃIↃ. ac XXX. annos
Mole preſſa cinerum
Quos Veſuuius immani incendio eructauerat
Exitum eluctata non reperibam.
O felix viciſſitudo
Philippo III. Rege
Benignitate atque Imperio
Quam Titus ampliore
Petrus Fernandez de Caſtro Lemenſium Comes
Prorex
Publicæ rei ſtudioſiſsimus
Vrbi multis auctæ commodis
Aquarum affluentiam
Molarum opportunitatem largiens,
Mihi Cœlum

Me

Me tibi aperuit,
Quiſquis es
Mirare rediuiuam,& vtere.

De furnis nautici panis in nauali extructis.

Philippo III. Rege.
Petrus Fernandez de Caſtro Lemens: Comes
Prorex
Ne Claſſis
Ob accerſendum Commeatum
In portu hæreat,
Cum gerenda res eſt:
Nautici panis officinas hic extruxit.
Quo
Et rem bellicam expediuit
Et magnis ſumptibus fraudibuſque
Cautum eſt

Philippo IV. Rege
Antonio Cardinali Zapata
Prorege
Quod vitiandæ, recidendæ pecuniæ
Gliſcens ſupplicio opificium
Superante pœnam flagitio
Minore
Quam Aurelianus Cæſar
Tumultu ſuſtulit
Pretia rerum
Summodicè aucta
Ad modum reuocauit
Percuſſa

Ex

Ex argento puro puto
Pecunia
Æquatoq; ad æſtimationem pondere
Publici commodi auctori
Parthenope
An. ſal. hum. CIϽIϽCXXII.

Philippo III. Rege
Gaſpar Cardinalis Borgia
Prorex
Viam vrbis celeberrimam,
Sed anguſtam, & laborioſè peruiam
Extruſo mari
Demolitus domos
Nullo imperato ære
Patentiore
Cœli,Solis,Pelagi
Proſpectu
Explicauit
An.ſal.hum. CIϽIϽCXX.

Octauio
Aquiuino Aragonio Cardinali
Archiepiſc.Neapolitano
Ob legatam Monti Pietatis ſupellectilem
Aureorum millium XX.
Præſtitumq;
Etiam poſt obitum
Paſcendi gregis munus
Quem
Exemplo,doctrina,opibus
Strenue aluerat
Præfecti documento poſteris PP.
An. ſal. hum. CIϽIϽCXVII.

VRBANVS P. VIII.
Templo huic,
Modo decem in eo ſacra fiant quotidie,
Suffragationem animorum,
Qui purgatorio igne expiantur,
Stato tempore, ſtatis diebus,
Ea lege indulſit:
Vt anima,
Pro qua templi eiuſdem ſacerdos;
In hac Deiparæ Virginis ara fecerit;
Flammis expiantibus eo ſuffragio releuetur
Statum tempus
Ab X. Kal. Aprilis An. CIƆIƆCXXVII.
Integrum ſeptennium.
Stati dies
Totius anni feria ſecunda:
Octauæ defunctorum dies ſinguli.
Præfectis petentibus
Petro Iordano Vrſino
Sacri Conſilij Præſide
Patrocinante.

Franciſco Cardinali Boncompagno
Archiepiſ. Neapolitano
Vitæ innocentia
Doctrinæ firmamento
Graui ſuauitate
Animi, ſermonis, morum, vultus:
Studio
Seruandi gregis,
Tuendæ dignitatis,
Et
Auctoritate muneris ſui,
Ad præſcriptum D. Pauli
Sacri ſimulacro paſtoris,

De

De Chriſtiana diſciplina,
De cultu, & nitore templorum,
De ſacello hoc plurimum ſemper merito,
Nuperrimè
Probatiſſimis Sanctorum reliquijs
Auguſtiùs aucto;
Sodales monumento poſteris,
An. ſal. hum. CIƆIƆXXXXIV.

Philippo IV. Rege
Antonius Aluares Toletus Dux Albæ
Prorex
Inchoatam
Veſpertinæ ambulationi
Viam
Addito
Translatoq; ad marginem
Interiecto itineri fonte
Expoliuit
An. magiſtratus IV. ſal. hum. CIƆIƆCXXVI.

Pauſilypum
Cœlo, Terra, pelago
Feliciter amœnum
Inter Puteolanos Veſuuianoſq; ignes
Incendii ſemper immune
Fallacibus æſtuoſiſq; Sirenum ſcopulis
Fido, placidoq; obiectum ſinu,
Sed aſcenſu, vt cætera tempe, arduum
Strata molliùs, laxiùſq; priore ſemita,
Bigis, geſtationibuſque Leniter eccliui
Ad commeandum illexit

Emanuel Fonſeca, & Zunica Comes Montis Regij
Prorex
An. ſal. Hum: CIↃIↃCXXXIII.

Ferdinandus Dux Albæ
Solertia militari, prudentia ciuili
Vrbanam, bellicamque gerendo nauus rem
Alemannos,
Capto Duce Saxoniæ Friderico,
Parere coegit Cæſari:
Belgas,
Principemq; defectionis Aurangem,
Coercuit;
Luſitanos,
DCCC. prope annos
Ab Regg. Hiſpan. ſeiunctos,
Vno adiunxit prælio:
Gallos
Neapoli Prorex
Totius Italiæ Vicarius
Ab Vrbe hac, regnoq; Italiaq;
Laureatis faſcibus auerruncauit:
Eo nomine
Hic, quà victorem duxit reduxit exercitum,
Pro corona Ciuica
Aeram marmoream
Seruata dicat Parthenope.

In

In lapide, qui primus in fundamentum Valetudinarij, quod Leucopetræ Societatis Ieſu extruitur, iactus eſt.

In prima lapidis facie.

Maria
Bermudes de Caſtro
Et Ioſephus fratris filius è Societate Ieſu
Geminam eidem Societati ædem
Pietatis, & Valetudinis
PP.
Nonis Auguſti an. ſal. hum. CIϽIϽCXXIX

In altera eiuſdem lapidis facie.

Lapis angularis Chriſtus Ieſus
Vtramque
In ſe, in Deiparam, in Ignatium
Nepotis, & Amitæ
Voluntatem
Fecit vnam.

CÆSARI
Ex vetuſtiſsima familia Domini Vrſonis
Iam tum Neapoli præclariſſima,
Cùm Reipublicæ legibus
Lectis ab ſe Ducibus regeretur,
Portamq; Vrbis,
Ducis de nomine nuncupauit Don Vrſam:
A Petro Toleto Prorege nuper tranſlatam vlterius;
Iàm tùm Surrenti præcipua,
Cùm non dum Archiepiſcopus
Sed huius templi Abbas ſummę pręeſſet Religionis,
Quòd
Ædem hanc, gentilitium Iuſpatronatus,
Solo æquatam,
Rector,& Abbas, reſtituit, locupletauit,
Atq; Vrbi commodum,generi Decus
Sibi,non quæſitum nomen quæſiuit:
Camillus Domini Vrſonis
Patruo benemerentiſſimo P.
An.ſal.hum. CIϽIϽCXXXVI.

Ioan-

Ioanni Baptiſtæ de Roſa
Iuris C. Clariſſimo,
Qui
Regio in Magiſtratu
Aequitatem iunxit ingenio,
Aequitati ſolertiam:
Compoſito
Inter Amatricem, & Ciuitam Regalem
Tumultu,
Finibus,
Aequiſſimo Iure,
Agnitis,
Vtriſque de Victoria plaudentibus:
Fundatori Montis de Zoſa
In ſuos, in ciues, in Deum
Munifico,
Cum ita cauerit:
Montis adminiſtratio cenſuſque
Martini de Roſa fratris filij ſunto
Eius deinceps primo genitis cedunto
Sicubi defecerint
Effœtaque deſierit roſa floreſcere
Præfecti diuiniſſ. Synaxis
Vtrumque procurante
Euchariſticam ante aram
Binas lampades nutriunto
Sacra quotidie pro cenſu fiunto
Familiæ meæ.
Cognatis affinibuſque Virginibus
Dotem danto
Tritici modios centum plureſque
Quotannis tempeſtiuè concludunto
Agnatis ciuibuſque indigentibus commodanto

Com-

Commodati
Tantundem ſub meſſe
Aut pretium quod meſſis æſtimet
Exigunto.
Vſuræ materiam ab auaris
Famem ab eſurientibus
Ablegants
Bartholomęus Patruelis
Et Io:Paptiſta de Roſa nepos
PP.
An:Sal.Hum.CIↃIↃCXXIV.
Octogenario
Fatis functo an.CIↃIↃCXX.

Hieronymo Orabonæ
Tuendæ ſcientiæ Valetudinis
Celeberrimo
Edomitaque
Propagandi generis
Traducendi ad poſteros nominis
Honeſtiſſima cupiditatum,& maxima;
Incomparabili,
Opes
Opumque hæredem vnigenam filium
Cœleſtum famulatui
In familia Patrum Prædicatorum
Religioſiſſimè elargito
Prouincia S.Caterinæ Senenſis
Samniticæ reformationis
Grati animi argumento P.
An.Sal.Hum:CIↃIↃCXIX.

Phi-

Philippo Rege Hiſpan. IV.
Octauio Serra Domino,
Ciuibus
Aquam fontanam, vrgente ſiti,
Longe petentibus,
Hoc effoſſo lacu,
Exiguo ęre publico magno commodo
Cœleſtem affatim præbuit
Serius Brancatus
Equitum ſignifer
Aedilis
An. ſal. hum. CIƆIƆCXXIII.

Virgo Parens,
Quod tibi Sacellum
Dominicus Naccarella I.V.C.
Pauperum,
Principatus, & Lucaniæ
II. & XX. annos
Patronus nauus impiger:
Sibi, ac ſuis, & Acrianæ Caraſę coniugi
Sepulcrum adornauit.
Hieronymus, & Matthæus
Patris per veſtigia Iuris V.C.C. Neapoli
Flamen hic Canonicus, cauſarum Patronus ille
Cum Franciſco fratre primogenito
Ciuilis, naturaliſq; philoſophiæ
Laurea decoro, qui
In Brutijs fraudum Portorij vindex
In Magiſtratu obijt.
Cohæredes
In Te, in Parentes, in Fratrem pij
Pro viribus, non pro voto
Reſtauratum expoliunt
An. ſal. hum. CIƆIƆCXXII.

Vectigal ludricum,
Dandis quæſitum fabulis,
Pium vt redderet,
Philip. Hiſpan. Rex II. religioſiſſ. max.
Medietatem eius,
Xenodochió Incurabilium
Dedit, dicauit, addixit
An. ſal. hum. CIƆIƆLXXXIV.
Facta poteſtate Præfectis
Locandi eam Redemptoribus,
Quæ vt certior veniret, & auctior,
Aulam hanc
Spectandis fabulis
Inſtruxere:
Philippo IV. Hiſpan. Rege.
Fuluius Conſtantius Marchio Coroliti
Summi à latere Conſilij Reg. Decanus,
Iulius Cęſar Capycius Marchio Aluignani,
Simon Vaes Reg. Cam. Præſid.
Io. Baptiſta de Ligoro,
Iò. Andreas Cancianus,
Gabriel de Martino,
Ioſephus Fraſſonus
Præfecti
An. ſal. hum. CIƆIƆCXXI.

Ne

Ne diuturnum,
Semperq; recens
Deiparæ in ſe patrocinium,
Suaque in eam pietas,
Vetuſti ſitu ſacelli,
Obſoleſcat,
Extructam
D. Mariæ promæ gratiarum
Hanc ædiculam
An. CIↃXLIV.
Abſterſo quinq; ſęculorum ſqualore,
Primigeno reſtituit nitori
Anna de Batio Terracina
Vxor Ioſephi,
Octauii Prouenzalis Drepanenſis,
Et
Portiæ de Maio de Duratio ſedilis montaneæ
Filij
An.ſal.hum. CIↃIↃCXXXIII.
D.Alexio
Fœcundę præſaga orbitatis
Sacellum hoc
Inchoauit viuens abſolui mandauit moriens
In eoq; ſibi
Piaculare quotidie ſacrum legauit
Helena Maria Iuſtiniana
Dux Teleſium,
Inter languentes præreptoſq; angina filios
In limine rapta iuuentæ
Nulli pulchritudine,
Nulli laude honeſtatis ſecunda
Pari virum amore,& obſeruantia,
Pari complexa beneuolentia natos,
A quibus
Vt diuelli fato nequiuit,

Sic ſegregari tumulo noluit,
Fœcundumq; Cœlo vterum,
Et ſancta vteri pignora
Penè vno elata funere
Neapoli ſuo in ſacello condidit
Bartholomæus
Ex Marchionibus Ceuæ Grimaldus
Dux Teleſium II.
Vir, Paterque infelix;
Cui
Nec ad dolorem ſat vnum fuit cor,
Nec ſat gemini ad lacrymas oculi,
Monumentumq; hoc
Coniugi obſecutus P.
An. ſal. hum. CIↃIↃCXXXIV.

Thecam hanc
Sanctiſſimis refertam reliquijs
Fidei commiſit poſterorum,
Ne vnquam
Nec vllam ob cauſam diſtrahant:
Quamquam hæc fallere,
Hæc & falli poteſt;
Tuæ procreator omnium
Fidei poteſtatiq; commiſit
Franciſcus Peſcara
Dux Saracenæ
An. ſal. hum. CIↃIↃCXXXII.

Aram

Aram Templi ſummam,
Quam in familiæ ſacellum
Ex legato Michaelis Patris
Conſpirantibus
Dianora Sanctacrux matre
Vincentio & Io. Donato fratribus
Fridericus Gentilis
Gentilium ſoboles Normandorum
Ciuitatis ac leſinæ D.G.Comitum
Sibi,ſuis,poſteriſq; eorum
Ornare inſtituerat:
Dianora Cardona
Rara in Virum,
Etiam poſt fata,
Charitate
Veriliter mœſta perfecit.
An.ſal.hnm. CIƆIƆCXXIV.

Indicus
Marchio Vaſti,
Comes Ariani, Apicis,Potentiæ,
Petri Gueuaræ Comitis Ognati
Filius,
Bello Neapolitano,
Ductu,auſpicioq; Alfonſi primi,
Vniuerſi tribunus exercitus,
Ab Duce Burgundiæ
Eques Velleris aurei
Obitæ legationis munus
Specioſiora promeritus
Qui
Ad Troiam
Ferdinandum Alfonſi Filium
Ab imminente nece, nece ſua eripuit,

Fa-

Fato, fati victor, obſecutus
Victima fidelitatis
Obtruncatus ab hoſte, victor hoſtis
Vitæ largitor, Spoliatus vita.

Sacellum hoc
A Bartholomæo de Capua,
Magno Altauillæ Comite
Magno Regni Protonotario
Excitatum
Ioannes de Capua
Montauri Troiæq; Comes
Ac continenti auorum ſerie
Magnus Altauillæ Comes XIII.
Expoliuit
An. Sal. Hum. CIƆIƆCXXII.

Thomas Lotterius
Patritius florentinus,
Peregrini ſtipitis propago vnica
Gentilitium ſplendorem
Ab Henrico Abauo
Florentia huc aduena
Ab cæteris poſt eum maioribus
Acceptum,
Domumq; hanc natalem
Ampliora filijs tradidit
An. Sal. Hum. CIƆIƆCXXX.

Iſabella

Iſabella Toleta
Mater Altrixq;
Franciſcę filiæ,ex aſſe hęredis Io. Baptiſtæ Spinello.
Ducis Caſtrouill.Ill.Cariat,& Paulæ Domini ;
Qui
Ductu auſpicioq; Caroli V.Cæſa ris
Equitum Neapol.bello Solemanno gen era lis pręfectus,
Petro Toleto ſocero Prorege,
Laureatis faſcibus redux
Cœli, non æui maturus an: XXX.elatus eſt
Templum hoc,Cœnobiumq;
Turcarum incurſionibus,
Et
Vetuſtate labefactum
Pietatem ſequuta viri
Reficit,amploq; ditat cenſu.
Quorum pietatis hæres,& æmulus
Thomas franciſcus ſpinellus
Marchio Fuſcaldi,
Magnus Regni Iuſtitiarius
Aeuo labente fatiſcentia
Reſtituit
Anno
Ab illata in domum ſuam huius oppidi ditione
CXV.
Sal.Hum. CIϽIϽCXXVII.

Col-

Collapſum, expilatum, exutum religione
Templum hoc Deiparæ ab Caroſino
Laxius nitidiuſq; reſtituit,
Addixit cenſum
Iulius Albertinus Nolanus
Caroſini Faſiani dominus
Translato iure beneficij Epiſ. Policaſtrenſis
In Iuſpatronatus familię Albertinorum,
Auctoq; iure
Eligendi, abigendi pro libito Flaminis,
Impoſuit
Vt pro ſe, pro genetrice ſua
Ter quota hebdomada faciat,
Lapide hoc teſte, Cœlo vindice,
An. ſal. hum. CIↃIↃCXXVII.

Io. Petro Micillo I. V. C.
Probitate doctrina, prudentia
Publicè, priuatimq; celebri
Nuntij Apoſtolici Neap. plures an. Auditori,
Multorum Epiſcop. Vicario Generali,
Quod hoc ſacellum
Deiparæ conſolatrici conſtruendum,
In eoq; Iuſpatronatus inſtituendum
Miſſas quot hebdomada tres
Certo cenſu celebrandas
Teſtamento reliquerit,
Andreas Micillus
Fraternæ voluntatis, quam aditæ facultatis
Haeres illuſtrior
Cœptum à fund. opus abſoluit. An. CIↃIↃCXXX.

Di-

Dicatum D. Didaco Complutenſi
Sacellum hoc
Suo inſigniuit cinere
Melchior Roſales,
Stipendij militaris exercitus Galliæ Ciſalpinæ,
Quæſtor ærarius Mediolani.
Sua ad ſe,ſuoſq; tranſtulit Pietate
Gaſpar Roſales
Eques S.Iacobi,
Ab ſecretis,conſilioq; Philip.Regis Hiſpan.IV.
Idemq; ab ſecretis Conſultorq; Status
Emanuelis de Fonſeca & Zunica Com.Montis Regij
Neapoli Proregis,
Italico,Germanico,Gallicoq; turbante Europam tumultu,
Patremq; Leſmum Roſales
Ab Vayllo in Colle Vrriæ,
Vna ex ſeptem Caſtiliæ veteris regionibus
In Archiep. Masburgenſi:
In Italiam obſequio profectum Regis,
Matremq; Barbaram de Egurza,
Ab vrbe Guipuzcoæ Aſpethia,
Per mare,per terras virum viriliter ſecutam,
Functos æuo,conditoſq; Alexandriæ
Huc aſportauit.
Tum tu fati vis improba,
Diſſitum filio,ac Parentibus fatale molita ſolum;
Ne Pietati contende Gaſparis:
Eundem hic tumulum, genitoribus germanoq; adornantis
An.ſal.hum.CIϽIϽCXXXVI.

Priſcum Arcamoniorum Sacellum
Præpotentium Virorum,
Ac
Magiſtratuum cineribus refertum
Io.Baptiſta Arcamonius
Bario in Patriam,
Suumq; in Sedili Portus, ordinem
Regreſſus,
Squalidum expoliuit
Sibiq; præſagienti fatum,
Poſteriſq; adornauit An. 1635.

Sci-

Scipio Brancacius
Vin tu
Ciuis optimi,optimi formam Ducis ?
Viator.
Scipio expreſſit Brancacius,
Laudem,nomenq; in Vrbe;
Laudem,nomenq; commeritus in acie:
Ad expeditionem profectus Nauarini penè puer,
Præclaræ poſuit rudimenta militiæ:
XX.annos inter Belgas Centurio;
Obſeſſis,captis,oppidis,vrbibus, alijs ſuper alijs
Indolem Factis,ſpem ſuperauit gloria.
Tribunus militum maior,
XL. vexillis præpoſitus,
Pacem tutatus in caſtris,
Animos acuit in hoſtem;
Lectus Pariſijs ad Henricum.IV.orator ab exercitu
Auctoritate ſupplici,
Dare viſus conditiones,non accipere,
Explicatiſq; vexillis horrentem in armis,
Velut victorem eduxit militem;
Su mmi Ducis,ſummus in Samnio Vicarius;
Alas equitum,bona duxit Mediolanum alite;
Status imperij Neapoli Conſiliarius,
Conſilijs imminens Orientis;
Exploratorum fidem mente explorauit oculatiſſima,
Semperq; pius,
Semper ſibi conſtans,ac munificus;
In ſumma rerum inopia
Egregiè cauit quingentis Virginibus,
In templo S.Eligij Neapoli
Suæ commiſſo fidei;
Manu,& Conſilio Regibus,
Tenore vitæ innoxiæ,& beneficæ,
Rei conſuluit publicæ;
Domi,foriſq; frugi,

Carolus Tapia,
Marchio Belmontis,
Supremi à latere Conſilij Neap. Decanus:
Regius.
Prima ab adoleſcentia Salerni,
Statimq; Neap. S. Claræ Conſiliarius:
Accerſitus Madrithium, auctuſq; honore eſt,
Cum magiſtratu moti non pauci ſunt.
Exploratæ vir integritatis,
Forenſi ſtatarius miles doctrina,
Muneri ſi quiſquam aſſiduus,
Maturus Conſilii,
Non vulgari trutina,
Sed aurificis expenſis ſtatera,
Et ad lydiũ lapidem examinatis ante Decretis.
Quæ in rem commentus publicam eſt,
Subtraxit ſomno:
Somno etiam ſubtraxit,
Quas diuino obſequio quotidie impenderet horas.
Inſigni in Deum Pietate,
Benignitate in pauperes,
Humanitate in omnes.

De

De S. Niceto.

O magni nominis
Inſigni maior facinore
Adoleſcens,
In arenam deſcendis,ludumq; gladiatorium,
Iniquo ſolo,
Frequenti theatro;
Imparibus armis,
Iniecto ante certamen laqueo,
Molli ſtratus culcitra,
Refertus floribus,
Delinitus odoribus,
Vinctus ſericis,
Circumueniris à Lupa,
Impudenti ore,
Procaci animo,
Quæſita veauſtate,
Meretricijs artibus,
Vmbram lupæ,
Leuemq; pulſum mentis,
Motumq; voluptatis nec adſcitæ,nec admiſſæ;
Cruenti vepribus,ſepulti niue,merſi lacu
Exhorruere niueæ virtutis Heroes:
Tibi religato
Spes nulla fugæ
Spes nulla in armis.
Hoc age:
Inſultat pudicitiæ adoleſcentula
Acrior,quò mollior,
Perq; pudicitiam Religioni,
Perq; Religionem Beatitati
Nunc animis opus:
Nunc cœleſti præſidio,
O rem miram,& viſu horribilem,

Ad-

Adſtrictus vinclis,affixus toro,
Spectandus Deo, Angelis, hominibus
Adoleſcens,
Irruentem hoſtem excipit alacer;
Os durum
Duriore fœdat ictu,
Nec enſem ſtringit, ſtringit dentes,
Roſas inter,& violas
Inhorreſcit,
Abſciſſamq; ſibi penitus linguam
In os fucatum expuit,
Cupidiniſq; hebetat iacula,
Emerſamq; ſpuma maris Venerem,
Honeſti obruit ſpuma pectoris:
Nec roſeo tingit ſanguine pedes
Pudici tingit fonte roris:
Nec roſas è ſpinis,ſpinas è roſis colligit;
Quibus redimitus,
Odorato è thalamo
Chriſtum in cruce referens
Vt illæ Chriſto,
Sic tibi
Immortalè florens Vernum
Spinæ pariunt

De S.Geneſio Porphyrio & Ardaleone.

O uim potentis dextræ?
Duris è lapidibus,
Non ferro,non chalybe,
Cœleſtis pulſu flaminis,
Sui amoris ignem elicit Deus.
Scena
Impia,ſacrilega ſcena,
Mirum dictu,
E fabulis,nugiſq; & impijs aris
Geneſios,Porphyrios,Ardaleones
Ad veri cultum Numinis
Ad aram tranſtulit Religionis.
Chriſto in Orcheſtra illudunt,
Interq; riſus, inter ludibria,& iocos;
Inter ſaltationes,blanditias,prothymias,
Chriſtum animo concipiunt,
Chriſtum fatentur ore.
Perſonam induxere impij,exuunt pij:
Mortem pro Cruce oppetunt, deriſores Crucis,
Actoreſq; fabularum,teſtes fiunt veritatis.

D. Thomas Aquinas,
Parthenopæus,
Cœleſtis Sol diſciplinæ
Haud oritur, occiditq;
In Cœlo Chriſtianæ Religionis immotus:
Nec ſi diem affert Eois, aufert Occiduis;
Semper vbique omnibus
Aeque lucem diuidens:
Nec interiectu Subtrahitur terræ,
Quam intimè radijs permeat, & illuſtrat:
Nec oppoſitu deliteſcit Lunæ,
Quam ſupra ſe aſpicit,
Candoremq; eius ingenuum ſuſpicit;
Nec lapide tegitur,
Qui nulla tectus nube,
Non minus viſus eſt
E cœlo lapſus ad terras;
Quàm è terris ſublatus ad cęlum.
Alas indutus
Aurei calami, radiiq; ſolaris
Vixit an. L.
Aſpectu ſubtractus hominum.
An. ſal. hum. CIↃCCLXXIV.

De

De Sancto Laurentio Martyre.

Funeſto alacer in ſtrato
Pubeſcentis flos ætatis,
Verecundi germen integrum pudoris,
Robuſtæ gemma ferax pietatis,
Hiſpani decus nominis, Laurentius.
Vrentium ardore prunarum,
Voluminibuſq; potentior flammarum;
Inter ſpectantium lacrymas hilaris,
Sæuientis morſus ignis excipit immotus,
Perfert magnanimus,
Retundit irrefractus.
Metuendus inter flammas ignipotens adamas,
Lenteq; prædator, & præda mortis:
Senſim torridus, ſenſim exuſtus, & aſſus;
Fatiſcente pigro incendio, parte altera corporis,
Inuictæ theſaurum reſerat fortitudinis,
Probatumq; iam igne aurum:
Hianti aurum Cæſari,
Hianti offert offam Cerbero:
Vt par Crœſo ſitienti, par epoto,
Pari expleat dape famem,
Victriciaq; ignis latera
Acrioribus obiicit iaculis,
Truculentioris feræ dentibus:
Rebellatq; quem prouocat,
Non auſum deſcendere in arenam:
Iamq; ſui victor, & hoſtium,
Vicemq; ſortemq; mutat feralis thalami
Suæ fit nouus auctor, & artifex Apotheoſis,
Non ille flagrantis è iugo Oetæ,
Verior domito Plutone Hercules:
Non Auguſtali è pyra imago cerea,
Viuus ipſe, & præſens

S Spon-

Spontaneaq; & ſpirans depopulantis hoſtia flammæ;
Non candido è lecto; ſed candenti,
Virginalis è rogo corporis:
Non ementitæ fertur in Cœlum dorſo volucris;
Sed ſuorum è buſto cinerum,
Sui proſeminator æui Heſperius Phœnix,
Immotis conſtantis animi eniſus alis,
Non empto Nebulonis periurio;
Sed triumphantis prędictione Vatis,
Acclamantis plauſu fori,
Chriſtiani orbis veneratione,
Diuorum additus numero eſt.
Iamq; templis dignatus, & aris,
Non bella tonat
Parma munitus, & fulmine;
Pacem poſcit
Victrici palma, & ramo felicis oliui;
Non gorgonea territat ægide:
Ad obſequium, cultumq; allicit
Inaugurati prætexta Flaminis,
Sacri tonſura capitis,
Septemplici redimitus ſole,
Et thoro inſignitus Laureato.

Neapoli

Neapoli pro foribus templi Societatis Ieſu, poſt Sanctiſsimum Pauli V.edictum,quo cauetur, Ne quis Conceptionem Beatiſsimæ Virginis; niſi immaculatam appellet.

Mariæ Ieſſeidi
Fracto antè congreſſum pellaci Dite,
Hoſte noſtri generis,ac nominis,
Æquè infenſo, æquè infracto.
Triumphata fraude,ſubacta impietate,
Victrici,incruentæ,ſemper auguſtæ,
Semper inuictæ.
Imperatrici terrigenum, Imperatrici cœlitum,
Ante triumphali,quàm militi;
Manubijs in aluo materna ſine damno relatis,
Petrus Gyron Oxunenſ. Dux
Pietati eius
Priſca maiorum Religione dicatiſſimus.

Aliud.

Virgini Genitrici
Non prius hominis alumnæ, quam Dei;
Deuocata Cœlo innocentia, artibuſq;
Benè, beateq; viuendi,
Repetita vita perenni;
Antè annos ſex mille, mortalibus adempta,
Coercito intra fines Acherunte,
Propoſito vexillo ſalutis,
Spe data ſeruandis ciuibus,
Curru vectæ gratiæ.
Societas Ieſu Paeanem
D. Petro Girono Oxunens. D. Proreg.
Præeunte.

Mariam
Ioachimi, & Annæ filiam
Alta ab ſtirpe Abrahami
Naturæ vitiatæ,
Deo præcauente
Prolem integram
Cœleſtium donorum in conceptu locupletiſſimam
Inſueta per incrementa
Deo largiente, ipſa adnitente,
Cœli ciuibus aduenis, indigenis beatiorem
Ingenio quouis; præter quam Diuino maiorem;
Quiſquis infra Deum es
Tacitam
Suſpice, verere, procumbe in faciem.

Ere-

Erectum ante Annum CIƆIƆCIII. In Monte Caluario Trophæum.

Summe Diuum,
Triplicis Genitor, Rectorq; mundi;
Cœli, telluris, Orci;
Vni tibi par, par tibi Trino
Monte in hoc
Duro è robore,
Triplex ſtatuitur bifidę Crucis truncus,
Trophęum triplex
Miſeranti pietati binum, vindici æquitati vnum
Nec ſola ſtatuitur deciſis ramis arbor
Viduata folijs, armis induta proſtrati Ducis;
Priſcum trophęi genus:
Victor quoq; hęret cruci hęros, victus hęret hoſtis
Stat tibi Chriſtus, proles tua
Sponte oblatus ſua, ſponte tua,
Volens ſimul hoſtia, ſimul obſequens,
Cœli victoris hoſtia;
Sub Cruce catenati gemunt lemures
Lethum gemit, lethiq; parens noxa;
Crucis obuolutus brachijs inſidioſus pendet anguis,
Poma quoq; virulenta pendent,
Et malè ſana ſciendi cupido;
Et neglecti contumacia imperij;
Morbidi tabifica radix generis:
Stat tibi, Chriſte,
Miſeritudinis opus tuę
Lernęis exſtractus faucibus,
Deuotus Orco fur:

Ex-

Expiantis prima gloria Crucis,
Expiatæ pium munus telluris,
Stat æquitati vindici graſſator impius,
Cœleſtis irriſor præſidij,
Rapaci data præda Plutoni,
Vltoris noua gloria Cœli.

Ibidem eodem anno, & die.

Tu quoque recentibus vetuſtis onuſta ſpoliis,
Mortalium potens, poſtrema Neceſſitas,
Morte victa Dei,
Trophęum Chriſto præis:
Truncus præis aridus, nudis hærens oſſibus,
Exuta diademate, curru deiecta falcato,
Redimita caput anguibus. herbiſq; potentibus.
Mille necis,
Mille trahis irreparabilis artes lethi,
Signa dorſo militaria,
Artem Pæonis ante pectus,
quina incluſum vngula virus,
Pomaq; lanceſq; laticeſq; dapeſq; opiparas
Blanditias gulæ, robuſtæ inſidias vitæ:
Adde rapacis fraudes, fraudes liuentis animi,
Flammas adde Veneris,
Adde Cruces, & ſecures
Sæpe æquas, ſæpe iniquas æqui vindices,
At etiam Chriſti victoris,
Chriſti geris morientis exuuias,
Immortalis tela victricia mortis, nouum trophęi genus,
Crucemq; columnamq;
Flagraq; vepreſq; arundineſq; clauoſq;
Hærentem pectori haſtam, quæ infixa exanimo,
Non illi vitam abſtulit, ſed tibi;
Cuius iacula cruore labefacta Dei;
Ex illo eripere mortalibus immortalem vitam nequeunt;
Tuq; tuiq; ſatellites, laruæ,
Spolia, primitiæq; præitis
Primitiis dormientium Chriſto.

De-

Deglubiti Bartholomæi Apoſtoli cutis affixa Cruci Trophæum.

Vnus eram,proq; vna cœlo deuotus hoſtia;
Nunc ego mihi detractus,
Nouo impietatis portento,
Alter,& idem:
Hoſtia ſum gemina,
Exuuiaſq; ipſe gero mei;
Opima ſpolia victoris,& viui,
Cultroſq; feros,& rorantia ſanguine vincla
Trunco crucis affixi,
Magne,tibi trophęum,Crucipotens;
Mox etiam victima cadam,
Nec repetitis cadam vulneribus,
Nil niſi vulnus vnum

De S. Chriſtina.

O felix ter, & amplius,
Chriſtina,
Tergeminis onuſta ſpolijs,
Totidem ſtratis inermi dextra Ducibus:
Ibunt, ibunt ante te catenati
Pater ſæuus, Prætores impij;
Ibunt edomitæ ſimulacra immanitatis
Nodoſi fuſtes,
Vngues feri,
Candens thorus, lethales cunæ
Aquæ hoſpitales, ignis refrigerans,
Fracta Idola,
Ceraſtæ obſequentes.
Os elingue, facundum eſt:
Cum tu inuecta quadriiugo,
Cœlo inferes victricis decora palmæ.

De S. Marina Monaco.

An feminam, Vir;
An Virum mentita, femina es.
O quam te memorem, Heros, virago,
Os habituſq; Virginem ferunt,
Toga, moreſq; Virum;
Sed ſupra, virum virtus, ſupra feminam, pietas:
Nempe
Laudes habitura vtriuſque:
Naſceris Marina, Marinus obis.

De S Lucia.

Forma, genus, opes, pudor
Concordi in Lucia nexu,
Arcemq; animi, arcemq; tuentur corporis.
Quid baccharis incaſſum furor improbe.
Illa ſolo pedes fixit, mentem Cœlo,
Sui potens, animi potens:
Vim paras? non loco mouebis.
Oculos adamas?
Ante erues, quàm illicias.
Tu, niſi feminę debes ludibrium,
Stringe enſem, pete iugulum,
Cœlum affectat lux ingenua Cœli.

Cæcilia
Virgo fecunda, ſponſa felix, mater pudica,
Quod non ex Viro prolem;
Sed Virum ex Deo,
Multamq; prolem genuerit,
Triplici ſe laurea,
Triplici Cœlum Sole coronauit
Virginis, Coniugij teſtatæ fidei, Ciuium ſeruatorum;
Nec immerito, nullis amputatur ictibus,
Nulli inflexa culpæ ceruix.



De

De S. Agnete.

Cœſo deſponſa agno
Duodennis, Agnes,
Thalamos dedignata Prætorios;
In flammis, tędiſq; nuptialibus
Non vritur ipſa; ſed vrit:
Nec in cœno ſordeſcit lux pudoris,
Quæ procos excæcat, & exanimat;
Nec demetitur, demeſſa ceruice,
Fida ſponſa, fida ſibi
Innuptę puellę, nupta Pietas.

Aliud.

Spernit aulam, nomenq; numenq; Cęſareum,
Eludit artes, blanditiaſq; Cupidineas
Frangit æſtum, typhumq; furentis iræ
Conſtanti lenitate
Virgo puella, Agnes.
Quid ni?
Gaudet ærumnis, pubeſcit in flammis;
Nec aciem timet gladij
Ceruice cæſa,
Caſura nunquam Fides.

In Margaritam
Non humana ſolum vis;
Armatur etiam Orcus.
Iniuriam illa faſcium,
Spretumq; Olibrium;
Suum hic vlturus Flaminem;
Illa fuſtes expedit,
Harpagoneſq; enſeſq; faceſq;
Hic laruam terrificam
Hiantem roſtro Draconis.
Heu immeritæ Laniena Virginis,
Heu trucis aſpectus, ſibiluſq; feræ.
Vincis tamen, vincis
Robuſti ære pectoris,
Vincis, puella,
Ferrum ferendo, negligendo lauras.

De S. Agata.

Ad campum prouocata tolerantię
Inermis Agata,
Debellat pudore furorem
Iniquę linguę laqueum
Honeſta declinat fuga
Prudens Bellatrix,
Quę
Abſciſſa mamma, pugnat expeditior,
Reſtituta, triumphat alacrior,
Nec gladio cedit, nec ſpiculis,
Dio cedit amori.

Fran-

Franciſcus Aſſiſias
Magno animo, humilis;
Auſtero victu, mitis;
Nullo cenſu, diues;
Multa famlia, ſolus:
Natalis ſoli
Patrijs in laribus:
Lethalis thori in obitu
Indigus.
Inopis,exerciti,confoſſi
Diuini ſtigmatibus amoris
Ad inſtar effictus Chriſti:
Ni lurida lacerna,ſemilaceroq; cucullo
Alium ſe longè iactaret,
Viſuſq; audituſq; Chriſtus erat,
Quem
Sui exutus, ſic induerat;
Sic habitu etiam corporis expreſſerat:
Vt detractis veſtibus, nihil requiras.

Diuus Franciſcus
Paulę in Brutijs ortus;
Primæuo hominis candore,
Primæuo præditus principatu;
Ad clauum ſedens orbis terrarum,
Volucribus,brutis,piſcibus,
Fluctibuſq; dominatus, ac flammis:
Palàm fecit:
Quam ſit omni amplius imperio
Flagrans Dei obſequium.

De

De SS. Andronico, & Anaſtaſia Coniugibus.

Quicunque ſancta colitis foedera coniugij.
Andronicum, & Anaſtaſiam colite
Cœlo pronubo,
Teda vnanimes nuptiali,
Et
Pietate vnanimes,
Cælibe, poſt ſuſceptam geminam prolem, thalamo,
Poſt ereptam, Cęlibe,
Ardentiuſq; & audentiùs toto inhiantes pectore Deum:
Spreta
Domus, Vrbis, opum, generis rerum humanarum
Amplitudine,
Vaſtamq; in ſolitudinem profectos,
Ab ſeſeq; ſegregatos,
Mares inter Coenobitas, Andronicum
Præ cæteris ſanctitate conſpicuum;
Inter Virgines, matronaſq; Anaſtaſiam
Pudicitia parem, conſtantia maiorem:
Donec viſum Superis,
Vt ſeorſim Hieroſolymam proficiſcentes,
Virili vterque tunica
In itinere obuij;
Agnoſcente Virum
Ignota Viro, nec ſe prodente, Anaſtaſia,
Studio pietatis compares
Intimiùs coaleſcerent,
Et quod
Exemplo, conſuetudineq; mutua
Maiora caperent incrementa Virtutum,
De ſeniorum conſilio
In hac ædicula conuiuæ,
Conuiuæ veriùs Cælitum

Igno-

Ignoti vixere ſibi,
Sat noti Deo,
Sat omnibus,poſt obitum noti.
Saluete, O
Gemini Soles Eremi,
Tutelares Coniugum,
Tutelares Cælibum,
Saxum hoc veſtros reuelat honores.

De S. Paulo Apoſtolo.

Stringe enſem, Paule,
Dextram expedi vindicem,
Toto bacchatur orbe nequitia,
Ad clauum ſedet iniquitas,
Et habendi malè ſana ingluuies.
Dedidicere,
Quas, tot laboribus, aſperitatibus,
Maris, terræq; periculis,
Leges promulgaſti amoris, & officij.
Inſidias ſtruunt Parentibus Filij,
Et
Filijs Parentes:
Deſcende Cœlo, non nouus incola Cœli,
Mortalis olim ad immortales admiſſus delicias,
Arcanorum Dei particeps:
Aut te toto, aut parte altera tui
Deſeruiſti terras;
Rependę vices,
Repete mortales immortalis exuuias,
Reuiſe, quas luſtraſti
Vrbes, regiones, terraſq; tractuſq; maris, inſulaſq; repoſtas;
Nec tubacanora Eloquij;
Acie perſtringe gladij,
Demete nequitiæ Capita.
Sentiat orbis vim potentis dextræ:
Et Vim ſentiat enſis:
Vre, ſeca
Portentoſi guttur hydri,
Virulenti domitor anguis,
Potentiſſimi potens auriga Nominis.

Ge-

Genouefa Virgo
Vrbis Patrona Pariſiorum,
Ab ortu ad obitum ,
Candore nitidiſſima luſtrali:
Homo nata, extra hominem vixit
Prima ab infantia,
Perterrefactis laruis ,
Edomita lue,
Triumphato letho victrix
Notum fecit:
Quam ſit diuini ſocia imperii
Mens innocens .
Quam firma ſit,quam potens
Conſociata Deo humana imbecillitas
Vix adulta,
Bis dumtaxat in hebdomada
Tenui refectis cibo viribus ,
Docuit ,
Quam ſe ſupra hominem euehat
Natura hominis:
Diuino ſubnixa præſidio,
Seruatis
Ab incurſu hoſtium,
A graſſante fame ciuibus
Et quod
Præter conſueta precum ſpatia,
Quotannis
Quatuor ipſos menſes
Ab omni ſecreta conſuetudine
Vni inhærebat Deo :
Sub iudice reliquit;
Vitam ne in terris egerit cum Clodoueo ;
An in Cœlo
Cum immortali Rege,commutatam
Circa an. ſal. hum. CCCCXC.

De SS. Septem Fratribus.

Specu ſub hac
Spirantis vitæ ſepulcro,
Septemgemini germani Fratres,
Honeſta facie, honeſtiore animo,
In flore ætatis, Religionis flore redimiti;
Nec territi minis,
Nec deliniti blanditiis:
Vt
Diuinæ maieſtatis rei
Flagitioſiſſimorum ſimulacris hominum
Thure litarent,
Obſtructo incluſi aditu,
Diuturnæ molle pabulum inediæ,
Lentæ data præda morti,
Poſt annos CLXXVII.
Præter labentis temporis, ſtantis prodigio ætatis
An excuſſi ſomno,
An regeniti vitæ?
Te iterum aſpexere, Sol,
Teq; repetitis preſſere veſtigijs, Tellus,
Annis, non æuo maiores,
Grandes, ab die natali, natu,
Sopore ætatis,
Specie oris,
Habitu corporis
Adoleſcentes adhuc impuberes
Reuixere:
Viui Chriſtianæ pietatis Martyres
Innocentis æui ſimulacra, & Teſtes.

De S. Auguſtino.

Diuus Aurelius Auguſtinus
Humani meta ingenij:
Vltra quid quæris?
Naturæ prægreſſus opes,
Genitæq; & ingenitæ ſapientiæ theſaurum
Altiſſimis recondidit monumentis,
In quibus
Quo plus hauris, plus quod haurias reliqui eſt.

Brigida
Regij ſplendidiſſima generis,
Tergeminæ abſoluta forma vitæ
Virginis, nuptæ, ſanctimonialis:
Parentis
Ob ſe in vtero ſeruandam,
Diuinitùs ab æſtu ſeruatæ pelagi;
Ante parens, quam filia.
Cœleſti ſub ortum oſtento,
Et prædictione clara,
Clarior reperta Sole virtutum eſt:
Diuina ſermonis, calamiq; facūdia,
Non melle, non apibus,
Non vllo ſat præmonſtranda eloquio,
Triennali puellæ taciturnitate
Elingui indicata portento,
Supra omnem euecta eloquentiam eſt
Laurea futuræ beatitatis,
Qua illecta ſeptemnis eſt,
Virgine Matre oſtendente;
Lacrymis irrorata perennibus
Chriſti Ieſu lanienam

Intimo animi ſenſu ingemiſcentibus;
Quem etiam acri cogitatione acuebat,
Cum telas pingeret acu,
Opem ferente operi, vim dolori
Lapſa Cœlo, Virgine ſocia:
Incrementis aucta virtutis, & ætatis
Non mille Orci Fraudibus,
Non extorta centimani Briarei manibus eſt.
Virginum puellarum
Exemplum, innocens, pudicum, obſequens,
Laborioſum, pium, prudens
Prȩeunte ȩtatem Virtute,
Virtutem, Cœleſtis luce alma præſidij,
Imperioq; mox nupta Patris
Innuptæ ſimilis.
Connubium à caſtitate auſpicata,
Impetratis à viro vnius anni inducijs,
Eodem in thorò mariti cȩlibes,
Ad augendam coaluere pietatem animi,
Suſceptamq; prolem;
Non tàm ad propagationem generis,
Quàm ad amplificationem Religionis
Suȩ commiſſam fidei rati:
Illuc teneram, illuc adultam direxere ȩtatem
Cultores magis animorum;
Quam cuſtodes Corporum
Sibiq; ſatius præcauentes, quam filiis:
Superato naturæ Vallo,
Et
Mollioris animi repagulis
Suo quiſque in Cœnobio
In amplexum, portumq; confluxere Pietatis:
Vnde velut è Prȩtorio altiſſimi Numinis
Ab ſecretis, litteriſq; Principum
Ad ſummos Pontifices, ſummoſq; Dynaſtas

De

De ſumma Religionis,
De officio,ac diſciplina
Scriptis litteris.
Publicæ profuit rei,& priuatæ.
Gregoriuſq; XI.
Quà auctoritate,quà prece
Auinione,Romam,ſuam in arcem,ſedemq; reuocauit;
Quo,diù,nauiterq; functa munere,
Poſtremum vitę actum
Extincto viro ſolutior
Laborioſis,piiſq;peregit peregrinationibus:
Romam profecta,& Hieroſolymam
Ad buſta,cippoſq; martyrum,
Ad veſtigia Chriſti naſcentis,
Veſtigiaq; renaſcentis:
Non tàm oculis, auribuſq;
Quàm Cœleſti agnouit illuſtrata fulgore,
Propiorq; Deo
Supplicium contumaciæ,iugum ſeruitutis
Prædixit Græcis
Iamq; mortalium peregrinationum propinqua metę
Satis, ſuperq;
Alto Cœnobii ſeceſſu,
Piis commendationibus,
Vigilijs,lacrymis,laboribus,ieiunijs,
Expedito ad iter immortalitatis animo
Tergeminum Cœlo ſolem intulit.
Nec ſolis præeſt Virginibus, nuptiſq;
Orbi præeſt Chriſtiano,
Quem ſuis adhuc erudit commentarijs
Functa æuo Romæ An. ſal.hum.CIↃCCC.LXXIII.

De

De eadem.

Brigida
Gothicis ab Regibus,
Splendorem generis
Sole coronauit virtutis egregiæ,
Omnibus
Virginum, nuptarum, ſanctimonialium
Expreſſis in ſe vna laudibus.
Auctoritate
In ſummos Principes, ſummoſq; Pontifices,
Diuiniſq; illuſtrationibus
Vni ſibi par:
Luſtrata, illuſtrataq; pijſſimis peregrinationibus Europa
Romanos ſibi ad ſepulcrum,
Patrios, ad venerationem, lares,
Ad lauream delegit.

De S. Petro Apoſtolo.

Pone Claues, Petre,
Accingere ſis gladio,
Nec aures percute,
Inuade in cor hominis:
Haud rudes peccamus rerum,
Haud cœlitus datæ legis ignari,
Peccamus liuidi,auari,ſuperbi,luridi,
Peccamus impij:
Scilicet
Deiectis caulis,repagulisq; diſciplinæ veteris,
Per auia iuga, crepidineſq; inacceſſas
Erramus deuiæ,incuſtoditæ
Oues quondam tuæ.
Exorreſcimus thymum, cythiſumque
Doctrinę ſalubris,
Auidiùs inter ſaxa, vepreſq; aconita carpimus
Virulentæ ſuperſtitionis:
Pellucidos fontes candidioris ęui,
Aquis commutauimus paluſtris genij:
Depulſis ab vbere innocentibus agnis,
Ceraſtas lactamus,noxioſq; Dracones.
Huc age ſodes, lecti cuſtos gregis,
Cape iterum pedum,
Pręſta iterum
Vicariam bono Paſtori operam,
Duc ad ſaltus innocuos,cœlumq; redolentia paſcua,
Vnde fames exulat lethalis pabuli;
Duc ad aquas,portentoſi lapidis aquas
Septem inſtructi oculis, ſeptem fluminibus,
Quibus benè potus, tutò potus animus
Fons ipſe fit,

Suaq;

Suaq; in Cœlum ſalit ſcaturigine;
Huc vbi
Expleta ſemper, nunquam exhauſta ſitis
Allicit vſque,& vſque beat.
Prẹſto ſis,
Commiſſas tuere oues,
Orbis, Paſtor, ſublunaris
Cœli,Clauiger,empyrei.

Tumulus SS. Euchariſtiæ.

Orbis ille,
Speciem qui refert Cereris
Haud Ceres eſt;
Viuentis Dei tumulus eſt,
Nec lapideus,nec cerealis,
Cereali dumtaxat ſimilis,
Hunc
Viuenti ſibi,ſibi morituro,
Ne tibi viuere mortuus deſineret,
Neu terris in cœlo abeſſet
Chriſtus P. Ieſus.
Hunc tumulo conditurus pectoris,
Ne conde viuum mortuo,
Ne hoſpitem inhoſpitali thalamo
Amicum, amico conde viſcere,
Innocuum,innocuo:
Vt viuus viui Numinis tumulus
Te toto coaleſcas Deo,
Qui ſe toto coaluit tibi
CIↃ & IↃC ante annos

Chriſto
Piaculo noxiorum innoxio,
Auctori vitæ ſepulto;
Conſtituta Cœlitibus,
Reſtituta hominibus
Per probra,damnaq; Crucis
Felicitate perenni;
Lapide ſub hoc.
Inter brachia diuinitatis exanimi,
Monumentum Pietatis,
Viuentium Senatus
An. natalis eius III. & XXX.

Aliud.

Non inanis vaco,
Molitorem rerum interminum
Exiguo concluſi gremio
Frigidus triduo lapis,
Hunc
Tertia appetente luce
Spolijs Acherontis onuſtum
Regenitum Cælo reddidi,
Exuberoq; ſiti fama nominis,
Quis ille fuerit,quis ſiet
Teſtata eſt
Atrata,concuſſa,diſciſſa,
Extincta cum extincto;
Ni fuerat viſura rediuiuum,
Vniuerſitas.

Chri-

Chriſtus
Diuinæ, Humanæq; flos Naturæ
Deo gignenti æquæuus, ac par,
Virginis genitricis procreator, & filius
In vtero labe immuni originis,
Diuini vmbra Flaminis incubante
Conceptus,
In ſtabulo, Haraq; brutali
Lucis inſtar emergentis
Genitus.
Concentu Cælitum,
Obſequio ſiderum,
Vaticinio Sapientum,
Cultu brutorum,
Veneratione hominum,
Muneribus Regum,
Inſtinctu diuino,
Proq; Deo, proq; homine
Agnitus.
Duodennis in Templo,
Scribis obmuteſcentibus,
Cęleſtis ſapientiæ Doctor acclamatus.
Perpetuos duodeuigenti annos
Alto, ſepoſitoq; ſeceſſu
Ad labores, cruciatuſq; expeditus:
Vbi,
Deum ſe
Pellenda lue,
Fugandis laruis,
Triumphando letho,
Reuocanda vita,
Regendo pelago,
Inhibendis ventis,
Exponendis oraculis,
Scrutandis animi ſenſibus

Prodigijs alijs ſuper alijs;
Vbi
Hominem ſe
Rigentem gelu,
Fatiſcentem æſtu,
Languentem inceſſu,
Pondere ſuccumbentem
Fame,ſiti,ſpe,metuq; laborantem:
Vbi ſe
Rectorem officij,
Cenſorem diſciplinę,
Veræ legis latorem,
Largitorem bonæ mentis,
Innocentia vitæ,
Sapientia orationis,
Triennio probauit;
Perdullionis
In Cęſarem iniquè emptis teſtibus,
In Deum etiam ſtultè:
Cum nemo ſit in ſe perduellis,& impius,
Non ignaris; ſed iniquis Iudicibus,
Accuſatus;
Iniquiùs
Ad tribunal tractus,ac male habitus,
Iniquiſſimè
Cruci ſuffixus;
Concuſſa pondere impietatis terra,
Exhorreſcente atrocitatem ſceleris cęlo,
Negante diem,prodigioſo defectu,Sole,
Lugentibus aſtris,
Attonita,in ſeſeq; ſepulta,Natura rerum,
Tumulo in hoc
Depoſita mortalitatis lacinia,
Prætexta decorus immortalitatis
Victor redit Acherunte.

Vbi

Vbi Mors
Victa victoria ſua eſt,
Ducitq; rediuiuus,
Spoliato Orco
Triumphum,
Quadriga vectus felicitatis, imperturpabilis,
Incommutabilis æui,

In auerſa facie ſepulchralis lapidis Chriſti Ieſu Poſt eius Anaſtaſim.

Non eſt hic:
Poſitis hic lacrymis, probriſq;
Hic inopiam, imbecillitatemq;
Æuumq; exutus mortalis hominis
Chriſtus Ieſus;
Immortales hinc ad opes, ad gaudia
Immortaliter verendus, ac potens,
Victor Herebi,
Fati victor inuicti,
Sua vi, ſua poteſtate rediuiuus,
Deum ſe
Plaudente Cœlo,
Orco probauit, & orbi.

Maria
Regum ſoboles,
Numquam non Cœli, alumna,
Genito Deo, Virgo Auguſta:
Nulla fati lege;
Sed ne moribus, & innocentia diuam,
Hominem natam verere,
Vita functa
Hôc tumulo tantiſper quieſcit:
Donec
Expedita pompa triumphi,
Protinus rediuiua
Mortalium Princeps
A mortalitate vindicetur.

In mortem vana ſpe deluſam in obitu Deiparæ.

Diſce tui fines imperi,
Leges diſce fati,
Edentula, ſi neſcis,
Te culpa genuit, illa manus armauit,
Cinxitq; diademate caput,
Teq; ſui voluit eſſe vindicem iuris,
Primigenæ vindicem contumacię:
Quid hic oberras quid, audes?
Vbi
Nulla recentis, nulla ſunt veteris veſtigia culpæ;
Victa cades iterum,
Iterum ſub ſua iura mittet
Virgo parens rediuiua, nato ſubnixa Deo:
Ibis, ibis catenata ante triumphum,
Diſceſq;
Innocentis, illibatæ iuga ferre vitæ,

De

De cruce ſepulta.

Illa ego
Arbor ante infelix,
Plectendis malè nata ſontibus,
Iactatæ ſceleribus vitæ, portus inquies,
Famę naufragantis, vorax Charybdis,
Æſtuantis animi, poſtrema execratio,
Inſontem complexa, ſontis habitu, Deum,
Perq; vulnera, perq; necem
Feri victorem certaminis:
Dinino cruore madui, pondere beata meo,
Fructumq; tuli arida:
Antiquior æuo, ſuppar Chao,
Partha homini ſalus,
Firmata cęlo felicitas,
Redditus aſtris nitor,
Tremefactus Orcus,
Mihi debentur,
Orbem domui, turpemq; Genium,
Hinc Manes ſepulta peto,
Tricipitem domitura Canem, Hydramq; lernæam
Potentior claua, non fabuloſi Herculis,
Sol vale, valete Superi,
Donec Cœlo pia vota reddant
Allatura pijs præſidium, metum impijs.

Ioſephus
Viciſſitudine immunis ætatum,
Illibato candore ad obitum, infans,
Grauitate morum ab ortu, ſenex,
Viridi virtutum iuuenta,
Maior homine vir,
Viroq; maior, & homine,
Sponſus Virginis, Virgo,
Alumnus, altorq; Dei,
Cui
Virginem Matrem, Filius,
Filium debet Deum, Mater,
Mortales inter vlnas immortalis Dei:
Si minus genitor,
Pater obijt vitæ,
Æuumq; moriens non vitam exuit
Obſtupeſcente adhuc, & mœrente fato,
Spe ſibi adempta præclarioris ſpolij.

Sanctus Ignatius Martyr
Hic ſitus eſt;
Fallor,
Quem fera mola triuit,
Immanis vnguis ſubegit,
Tolerandi ardor coxit;
Non humo tegitur,
Suæ appoſuit menſæ Sator Cœli.

Hunc

Hunc beat Iudas tumulum,
Quid cohorruiſti?
Quo iter auertis Hoſpes?
Non fur ille beat, cupidus ille,
Qui ſe marſupio, marſupium Orco condidit:
Alter ille beat,
Qui remiſſo mammonæ nuncio,
Exutus opes, ſpeſq; exutus opum,
Se, ſibi clepſit,
Munitum adamante Cælum clepſit,
Inexhauſtis, diuini ſanguinis,
Expletis, ſuo ſanguine, copijs.

De Cuſpide in Chriſti latus immerſa.

Crudelis manus,
Crudelis tu quoque haſta,
Quæ me Chriſti præcordijs
Improbè adactam, feliciter ſepultam;
Auſa es reuellere:
Sperno aurum, illuſamq; diademate thecam;
Cœlum, & aſtra ſperno,
Præ Chriſti vulnere
O ſi illuc iterum reddar,
Illo me tumulo condam,
Tumuloque titulum imponam:
Improba cuſpis olim,
Hic, vbi feruet amor,
Spiculum ſum facta amoris.

Humani capitis luſtrati cinere, tumulus.

Cinis, hodie cinerem luſtrat,
Viuentem, extinctus,
Vterque vrna, ſitus vterque eſt:
Namque
Dum viuus, extincto tegitur cinere, cinis,
Alter in alterius, exceptus gremio;
Suo, vterque conditur tumulo, tumulus:
Ipſa quoque, mortalium maior vrna, tellus
Veſeui montis ineluctabili ſepulta cinere,
Gemino poſthac te excipiet tumulo,
Et ſtrepis adhuc, adhuc rixas,
Turbaſq; in tumulo cies?
Ni quieſcis,
Poſtrema te manet vrna,
Cor terræ, igneum.

Lazaro

Mortalis imperio Dei,
Immortalis gemitu hominis,
Quatriduano è complexu mortis,
Imoq; è ſinu Tartari
Ad vitam euocato innocentiorem,
Rurſumq; fugiente die,
Duplicis menſura vitæ,
Foenore mortis duplici
In tumulum illato;
Non vita erepta
Adempta mortalitas eſt.

De-

Defectus Solis in obitu Chriſti Domini.

Heu languet, languente Deo,
Caretq; tumulo;
Niſi ſit ipſe ſibi tumulus, Sol.
Heu languet, in ſeſeq; emoritur,
In ſeſeq; tumulatur,
Moriente Deo,
Moriente Sole,
Vniuerſitas.
Oculi lugete mortalium, dum licet,
Tu quoque, Mors, luge,
Cui ſi nihil ſupereſt, quod rapias,
Tu tibi lethum eris, tu tibi præda, & prædo.

De defectu Solis, & Lunæ deficiente Chriſto Domino.

Fons aruit luminis
Conde Lunam, Sol;
Solem tu quoque conde, Luna:
Vtq; dies, noctesque alterno dediſtis munere;
Sic mutuo date noctem luctu.
Sit alter alteri tumulus,
Tumuloq; hoc addite carmen:
Terra vale,
Tu quoque vale, Cœlum,
Luximus, & viximus,
Mortali, immortales merſi funere,
Auctorem lucis ſine luce lugemus.

Stellæ tumulus, quę duxit Magos ad Pręſepe.

Luxi infans, ſeneſcente mundo:
Illuxi Regibus
Incertæ, dux certa viæ,
Natalemq; Dei Olympum,
Natalemq; indicaui ſpecum
Fax nuncia, præco,
Expleto munere,
Noctis expers,
Lucis expers publicæ,
Mihi, cœloq; irradio,
Inque meis radijs, inq; mea tumulor luce,
Donec
Verſo in cunas tumulo,
Non obitura phoënix
Adſim Chriſto vindici luculenta in perfidos teſtis.

Chriſtus
Homo Deus,
Matre genitus Virgine,
Infans in ſtabulo,
Cœlo indice agnitus,
Duodennis in templo à ſcribis laureatus:
Inde
Ad an. vſque XXX.
Deo, ac ſibi operatus,
Probata triennio,
Prodigijs, oraculiſq;
Deitate:
Fame, ſiti, geluq; æſtuq;
Humanitate:
Oratione, Conuictuq;

Sancti-

Sanctitate:
Falſo Maieſtatis accuſatus,
Iniquè damnatus,
Impiè in crucem actus:
Lugentibus aſtris,
Nutante ſolo,
Commutatis noctis, dieq; vicibus,
Confligente ſecum,
Seſeq; inſequente, ſeſeq; fugiente Natura rerum,
Satiſq; ſuperq:
Sator mundi
Salutis auctor
Probatus,
Mortalitatem in vtero Matris indutus
Exutus hoc tumulo eſt.
An. Æt. XXXIII.

De Sancta Maria Magdalena.

Ignari ſui
Mentiente formam fuco,
Impotens ſui,
Cupidine acta placendi,
Laruis acta fatigantibus
Illex amoris,
Labes pudoris,
Acrior,quò ſplendidior,
Ac ipſo trahens natalium nitore ſqualorem
Magdali potens,
Vt Deus illuxit animo,
Imis illapſus ſenſibus,
Sordeſq;
Flamma patefecit penita,
Exhorruit aſpectu lutulentæ mentis,& oris,
Latebraſq;
Quo à ſe fugeret,
Quæritans,
Protinus ad Chriſti pedes
Incompta,pudibunda,lugubris,
Flenſq; ardenſq;
Acui pertoeſa procacioris,
Os,animumq; durum
Obruit lacrymis exurit flammis:
Nec mora
Emergit è cineribus adulti Genij
Infans,& innocens;
Emergit recens virtutis alumna,
Cenſor officij,
Magiſtra vitæ,
Mortis negligens,
Triumpho nobilis ſui;
Nec vox,nec verba hominem ſonant,

It

It ad Chriſti pedes, it ad necem
Fida Comes,
Fugientibuſq; alijs
Vinctum ſequitur, impigra,
Damnatum flet, impauida,
Morienti adſtat, interrita,
Mortuum curat, beneuola,
Rediuiuum quærit, ſedula,
Luſtrat tumulum, veſtigat rura
Timenda magis, quàm timens,
Nec niſi reperto quieſcit duce
Conſtans animi femina;
Eoq; in Cœlum eniſo,
Studio aſſequendi in ſublime elata,
Delicias libat mortalis, immortalium.
Expleta vſque, & vſq; inhians:
Donec
Toto hauſit pectore Deum.
Hic exuta ſpolium
Maria Magdalene Soror Lazari
An. æt. ſal. hum.

De Eadem.

Illa ſeruitio famoſa Genij.
Hoſpitio captiua Laruarum illa.
Hoſtis illa pudicitiæ,
Acrior, quò tectior,
Odio ſui,
Amore læſi Numinis;
Inter damna, probraq; crucis
Immota:
Deſtituta magiſtro,
Feras inter, Vaſtamq; ſolitudinem
Cœli prius Municeps,
Nunc Ciuis,
Hac hoſpes humo tegitur
Maria Magdalene Soror Lazari.

Conditor rerum,
Conditus hoc tumulo eſt:
Et quem non cœli coercet ambitus,
Non mille ambiunt orbes,
Vnus,& breuis contumulat lapis,
Diſce Deum,
Et vices diſce Dei, Viator,
Vt ampla te ſupra Cœli euehat ſpatia,
Anguſta,immenſum ſe,contrahit vrna,
Sciſſuſq; modo morienti lapis,
Sepulto incubat integer:
Scilicet,
Quiſquis,exuto lapideſcis Deo;
Multa gemens,
Scinde animum,mentemq; lapideam:
Quiſquis,extincto adornas Chriſto tumulum,
Te integrum,ſolidumq; da ſepulto inferias;
Ne duplici corde illuc vageris,& illuc,

Poenus ad Præſepe Domini Ferijs Natalitijs Baptizatus feliciter obit.

Diuerte huc Viator.
Noſce diuinæ miracula clementiæ:
Ammedir ego Poenus,
Mohometicæ ſeruus libertatis,
Religioſus aſſecla impietatis,
Effrænis captiuus Genij,
Corpore foedus, animo foedior,
Mancipium Neapoli,
Omnem ab ſeruitute auſpicor libertatem.
Tu me, Sancte Pupe,
Ferijs Natalitiis
Manu accerſitum præpotente,
Qua ſata cuncta ſunt, reguntur cuncta,
In libertatem
Digituli virgula vindicas
Tu te meis adſtringis vinculis,
Me exuis,
Protinuſque
Luſtrali merſum flumine cœlo aſſeris.
Tum tu, Viator,
Ne quære hic Ammedir,
Ioſephum quære,
Neq; lapide ſub hoc,
Super aſtra quære.
Obijt Neap. an. æt. Sal. Hum.

De

De S. Theodora Monaco Virilis accuſata criminis, nec niſi in obitu agnita fœmina.

Situs, an ſita iacet hic?
Quiſquis es, effare.
Theodora ſum anceps,
Mater fœminam genuit
Culpa, dolorq; marem
Sceleri ſuccubui fœmina, ſuccubui, & exhorrui,
Medioq; ſcelus auerſata in ſcelere
Repente Vir,
Me meq; tunicamq; animumq; exuta fœmineum,
Sexumq; habitumq; ementita,
Non ementita mares animos,
Maribus adſcripta Cœnobitis,
Virilis accuſata criminis mulier,
Vltóre Deo:
Nec virum me, nec crimen negaui,
Verum ficto compenſans ſcelere;
Vitam exui, non exui probrum,
Intuleramq; in vrnam indecores artus,
Ni labem elueret
Poſtremus abluendi corporis labor;
Extitit hinc caſtus intemeratæ mentis nitor,
Iam Theodora pudens
Theodorus habitus impudens,
Suumq; corpus terræ,
Meum mihi nomen,
Sua mens reddita Cœlo eſt,
Cœlatumque lapidi carmen.

Hic Theodora cubat innocens, Vir credita nocens
Ignoratum crimen, falſi luit fama criminis,
Debitas Deo pœnas, pœna exoluit indebita,
Mulier genere, Vir animo,
Viro, Virtute maior.

De S. Paulo primo Eremita.

Alget hic exanguis, imbellis,
An hic etiam feruet
Bellator Pauli cinis?
Voluit hic, & potuit
Puerum inter, interq; adoleſcentum
Conſuetudine auulſus ſodalium iucundiſſima;
Vrbeq; frequentiſſima,
Poſthabitis opibus, opumq; ſpe;
Spe etiam faſcium, & gloriæ,
Sine duce, ſine comite,
Per inacceſſas crepidines, vaſtaſq; ſolitudines,
Per horrentia luſtra, cæcorum nemorum,
Laceſſito fato,
Obuiam ire Tigribus, Leonibus, Vrſis,
Voluit hic, & potuit
Feros inter Dracones, immaneſq; Colubros,
Indigenaſq; Lemures,
Spectraq; præſtigiaſq; lernæas
Interritus,
Vita tutus innocua,
Cœli querere ſemitam.
Hæc voluit, hæc potuit,
Primuſq; poſt primum hominem
Obſequio ferarum,

Fa-

Famulatu volucrum potens,
Aqua fontana,
Allatoq; Cælitus ſemipane opulentus,
Contemptu rerum,
Dominatu ſui,
Alto ſeceſſu
Nulli ſecundus,
Exactoq; æuo,
Hoc
Ab Antonio cultore ſolitudinis ſuppare,
Conditus tumulo eſt,
Nec caret nomine buſtum.
Paulus, ille Paulus,
Sibi ferus, Feris humanus,
Immortalitate nominis ſibi ſuperſtes,
Adhuc agmen per auia ducit,
Debellatq; fama virtutis Orcum.

Mul-

Multa Corpora Sanctorum qui dormierant ſurrexerunt. Matthæi cap. 27.

In ſententiam eorum, qui exiſtimant iterum quieuiſſe, poſtremamq; cum ceteris præſtolari tubam.

Ne rere mortales hic condi cineres,
Neue immortales,
Bis vitæ genitos, mors ſuſpicit,
Bis datos letho, vita gemit,
Formidat vtraque, vtraque audet
Bis cinefactos, bis viuos,
Vita ſibi vindicat, Mors ſibi,
Vi certant pari, conditione pari:
Vitæ tamen melior cauſa eſt,
Quod vitæ redonatos, auctore vitæ reſurgente,
Par eſt,
Eundem ſecuturos triumphantem,
Interq; cœli Aulicos
Vitam indepturos immortalem.

Tumulus Vuilermi Ducis Aquitaniæ.

Quid terra tremis? quid nutas?
Ingentibus librata ponderibus,
Leui ſub hoc laboras pondere?
Vuilermum Ducem Aquitanię ſuſcipis,
Non trucem illum, inhumanum, inceſtuoſum, exlegem
Hoſtem Innocentij II. Religionis hoſtem,
Interdictum ſacris, aditu interdictum Templi,
Quoquo ſcelere grauem.
Alium ab illo ſuſcipis, longè alium, flagitioſus ille,
Bernardo tonante concuſſus,
Deo ipſo, Deo, ad valuas Aedis,
Ex auguſtiſſimo orbe triticeo,
In animum, mentemq; rebellem,
Solis inſtar latitantis irradiante,
Impio excuſſus veterno,
Seſeq; agnoſcens, ſe ſeq; exhorreſcens agnitum,
Ferro domitum,
Abſumptum ieiunijs,
Demerſum lacrymis,
Fractum ſolitudinibus,
Cœlo expiatum irrorante,
Senſa exutum improba,
Suo cum ſcelere ſepultum,
Poſitis nitidum exuuijs,
Obſequentem Deo,
Pudicum, lenem, pium, Sanctum ne vereare,
Quin reuerere, imoq; ſuſcipe gremio, Tellus,
Gremioq; titulum impone,
Vuilermus Dux Aquitaniæ,
In quo ſuas abſumpſit vires nequitia,
In quo ſuas patefecit opes gratia,
Poſita iacet noxa
Innocuus.

Si-

Simeon Stylites,
Inenarrabilis prodigium tolerantiæ,
Aërius magis homo, quàm terrenus;
Si tamen homo,
Qui præter humanitatem,
In ſe humani habuit nihil,
In alios humaniſſimus,
Supra lXXX.an. ſublimi inſiſtens columnæ,
Aeſtum, frigus, ventos perpeſſus, & imbres,
Solemne XL. dierum ieiunium,
VIII. & XX. annos,
Chriſti per veſtigia, ſine cibo, ſine potu,
Solidum exigens,
Exhauſtas
Ieiunijs, lacrymis, cruciatibus, laboribus,
Componendis litibus, conciliandis inimicitijs,
Erudiendis Ethnicis, & rudibus,
Arguendis impijs, & perduellibus,
Vix tenui quot hebdomada reficiens cibo vires,
Spectante, attrectante,
Et vix oculis, manibuſq; ſuis credente,
Orbe terrarum,
Haud humo tegitur,
Qui vix humum attigit,
In ſublimi iacet Columna,
Non extincto ſimilis, ſed ſopito,
Huic inſcribe:
Diſcite mortales ex me conſtantiam,
Imperium diſcite veſtri,
Et
Iter diſcite Cœli
Obijt Nonis Ianuarij
An. ſal. hum. CCCCLX.

Quem

De
Diuo Ioanne Chalibita.

Quem toto quæſiuit,
Toto nec reperit Orbe Fama.
Ioannem Chalibitam,
Sub hoc corripuit tugurio
Mors Fama callidior.
Non illi centum profuere aures,
Non vigiles oculi,
Non linguæ, oraq; centum,
Patrijs quæſiuit exulem laribus,
Errantem in montibus,
Immorantem in ſyluis,
Aſpectus, affatuſq; fugientem hominum,
Errauitq; ab oſtio,
Speculatrix acrior Mors,
Hæſit veſtigijs,
Veſtigijs ſubſecuta inſiſtentem Alexij
Lare ſpeculata ſub hoc,
Fœdum illuuie,
Capillo hiſpidum,
Horrentem macie,
Situ, & ſqualore ſentum,
Obſitum pannis,
Domi ſuæ exulem,
Vix ſe credentem ſibi,
Celebri in frequentia ſolum.
Aequo ferentem animo aſpera,
Fatali corripuit die, certa prædæ,
Intonuitq;
Quid ſyluas, horrentiaq; luſtra
Iactatis Soliuagi?
Ille in campum, arenamq; deſcendit arduus,

Qui in Vrbe media, ſolus,
Medioq; in hominum cœtu, peregrinus
Secum habitat,
Aliena ignorat,
Sua negligit
Dura patitur,
Nec gemit, nec hiſcit.

Maria Ægyptiaca
Vile diù ſcortum,
Emptis quoque libidinibus famoſa;
Vna omnium,
Non auaræ,non cupidæ
Voluptuoſæ mancipata Veneri;
Miſerantis Dei præſidio
Perteſa turpitudinis,
Conſuetudinem, conſpectumq; exoſa hominum,
Penitiſſimas ingreſſa ſolitudines,
Ducente Deo:
Certa viæ,in auiis:
Tutior,incuſtodita:
Sine metu,ſoliuaga;
Inter ancipites anfractus nemorum,
Labyrinthaeis læta erroribus;
Inter luſtra ferarum,cœli nacta ſemitam,
Superioris vitæ maculas,
VI. Et XL.annor.lacrymis eluit,
Ab ipſa,trahens deterſa nitorem,labe.
Luco in hoc,lucis ante caſſo,nunc illuſtri,
Hoc à Zoſimo condita tumulo eſt:
Veſpillonis munus Rege ſubeunte brutorum,
Candorem reuerito,
An ſopiti, an extincti cadaueris?
An. ſal.hum.IↃXX.

Camillus de Lellis,
Fundator Crucigerorum,
Crucis Nutricius:
Poſitis,
Inter ægritudines, curaſq; purulentas
Sordibus,
Triumphator cruentus,
Concepto
Inter illuuiem nitore,
Tabificum inter nidorem,
Salutari odore Pietatis:
Quæſito,
Extremos inter morientium labores,
Fructu vitæ perennis.
Dux,
Facinoroſis ad aram innocentiæ,
Innocentibus ad arcem felicitatis,
Certus, & conſtans,
Lurida ſub Cruce nitidiſſimus,
Operoſum ducit Agmen & pium.

VR-

VRBANVS VIII.
Diuino nuper conſilio,
Terrarum adlectus Pontifex,
Imperare ſibi didicit:
Supremi Numinis vicariam euectus ad ſedem,
Adhibere rarò fulmen,
Parcere viſus ſemper.
Fffata credas, imiteris geſta, venereris Nomen:
Quando
Diuini Interpres Oraculi eſt:
Eius
Vrbana te trahit comitas, aureus deuincit ſermo,
Ter maxima moderatur auctoritas,
Famulantur illi Charites, aſſidet Irene lateri,
Regit Aſtræa Forum,
Barberinas iactat in ſtemmate Apes,
Mel ore præfert,
Exerit in perduelles aculeum;
Atqui, dum ferit, linit: vulnus, dum facit, fouet.
Accede reus, abſcedes ſubitò innocens,
Pollentibus, afflatus verbis,
Balneo elutus piaculari.
Committe tutis auribus patratum, conceptum nefas;
Non te confeſſi ſequetur pœna mors,
Abibis vitæ redditus, adſcriptus Superis.
Age dum,
Diuinati proximo, poteſtate data diuinitus,
Chriſti vexillifero,
Procumbe, Roma,
Accurre, ſupplex Orbis,
Precare, Quiſquis es,
Fauſtos, nitidos, Neſtorios dies,
Viuet parum: vicena ni expleat luſtra.
Firmet hoc omen Deus.
Io. Bapt. Vrſ. Soc. Ieſu.

GRE-

GREGORIVS XV.
Pontifex ter Maximus,
Terrarum Orbis Benemerentiſſ.
Multa breui iaculatus Imperio,
Quot menſium, tot luſtrorum æquauit annos,
Immortali dignus Nomine,
Rebus præclarè geſtis,
Romæ, pro Roma.
Pietatem auxit nouo cultu Religionis,
Religioni Aras extruxit,
Noua Sanctorum Apotheoſi,
Inter quos,
Ignatium Societatis Ieſu Fundat.
Franciſcum Xauerium Anteſignanum,
Gemellum Numen,
Cœli albo:
Vtriuſque Orbis, gemellum veluti Caſtorem,
Feſta omnium acclamatione
Intulit.
Feciſſet plura:
Ni
Fato abreptus præpopero
Obijſſet:
Lugendus ſemper, quod imperaſſet parum.
An. ſal. CIƆDCXXIII.

GRE-

GREGORIVS
Pontifex Romanus XIII.
Dignitate muneris,
Vno minor Deo;
Altitudine animi,
Summo ſublimior culmine;
Merito beneficentiæ,
Luce benignior, potentiorque Solis;
Ad ima peruadens Tartara,
Beauit, ſpoliato Acherunte, Cœlum;
Nec ſeptem dumtaxat illuxit collibus,
Sibi, ſuiſq; nitidus,
Celerioribus,quam ſol alter, curſibus,
Amplioribuſq; receſſibus;
Meridiem propius, ſeptemq; propius Triones
Luſtrandis, illuſtrandiſq; animis,
Tot geminatis Romæ ſolibus,quot Collegiis,
Nec ope fruſtratus, nec opera
Explicata inter Gentes,
Defenſa inter Noſtrates Religione:
Accerſitis ex Iaponia vſque Regibus,
Retractis ad frugem,lucemq; Chriſti perduellibus,
Quæſito Europæ Otio,
Repetito cultu primæuæ diſciplinæ,
Compoſito cum Sole anno,
Cum annis ſeculo,
Cum ſeculis æuo:
Collocato inter aſtra,
Arcis Romanæ Cynoſura, Dracone,
Sapientis,pij,benigni Fama nominis,
Ad huc fouet,illuſtratq; Orbem Chriſtianum.

Cum

Cum inauguratus eſt Rex demortuo Philippo Patre.

Philippe Rex Hiſpaniarum IV.
Iam nunc,
Aſſueſce Imperio, Adoleſcens,
Magni nominis Hæres, & Hercules:
Subi, quod Atlas Parens,
Præreptus fato, tibi committit Regnum,
Vltràq; citràq; Gades te creat Cæſarem.
Quà bello, quà Pace,
Molire grandia,
Hac tutius, illo felicius.
I Sol, i tanto nuncio, felix Præco,
Orientis adi, luſtra Occidentis plagas Cœli;
Effare nouum Regem.
Occurant Orbe ab vtroq; ſupplices Vrbes,
Tributa ferant, ſubmittant faſces,
Parere diſcant:
Tu quoq; Siren,
Satis illacrymata Patri, gratare Gnato,
Viuit in Rege Patre,
Rex idem Gnatus.
Ann. ſal. hum. CIↃIↃCXII.

Fer-

FERDINANDVS,
Princeps,Cardinalis Auſtriacus,
Germanorum Cæſarum,Regum Hiſpanorum,
Par auis,proauiſq; Proles,
Maturus conſilij adoleſcens,
Nulli cupiditatum obnoxius;
Quem vnus Aræ,vnus Fratris tetigit honos Ephebum :
Ex Ephebis,
Gladium ſtrinxit impigrè,ſed in loco:
Bellator acerimus,Victor mitis,
Fortunam ſibi ſeruire coëgit bellicam,
Fortunam ciuicam ;
Quo res cumque tulit ; ſuis tulit alis Victoria .
Belgium,
Romano,Germanoq; Cæſare,
Cæpit celerius rexit humanius:
Faſces,& Secures,
Benouelentia ſtipatus popularium,
Indices habuit Imperij,non vindices,
Æquataq; Superioris æui Fama,
Septem ſuper Triones, altæ iecit fundamenta Gloriæ,
Cœlumq; nouæ reſerauit indoli,
Pudicumq; Iouem,paciferamq; Palladem,
Beneficumq; Herculem,æquumq; ferens gladio Martem,
Obſequium Deo,otium terris,
Bella ſibi,ſceptra quæſiuit Fatri.

Trophæum ad Norlingam affixum à Militibus.

Principes Inuictiſſimi
Pannonici, Romaniq; decus oſtri
Cardinalis Ferdinandus Auſtriacus,
Regum Hiſpanorum Filius, Frater, Nepos,
Caroli V. Cæſaris Pronepos
Et
Rex Vngariæ Ferdinandus,
Ferdinandi Cæſaris Filius,
Fratres patrueles,
Pij, Felices, Auguſti,
Gothici Maximi,Germanici Maximi,
Pro re Romana, pro nomine Auſtriaco,
Duces auſpicatiſſimi,
Ad Norlingam,
Ducem perduellium Vaimarum,
Fidentem numero militum,
Signaque noctù audacius inferentem
Strenuè repulſum:
Cæſo propè ad internocionem exercitu,
Verſumq; infugam,
Iunctis hic profligauere auſpicijs,
Iunctis Faſcibus
An. ſal. hum. CIↃIↃCXXXIV.



Pa-

Parentalia.

PHILIPPO HISPAN. REGI III.
Vindici Religionis,
Cultori Pietatis,
Tutatori Imperij,
Auctori Pacis:
Quod, prælata Faſcibus Religionē,
Maurorum vim innumeram,
Fuco pietatis ſceleſtius impiam,
Cœli præſidijs vſq; obnoxiam,
Orbe ab Chriſtiano abegerit,
Tellinenſes vallauerit,
Eoos, & Occiduos,
Multa Flaminum expeditione,
Cœlo aſſerere ſtuduerit,
Vindicatæ Religionis,
Monum.

Philippo III. Hiſpan. Regi.

Quod laboranti imperio,
Præſto fuerit.
Rodulphum, Ferdinandum Auſtriacos,
Copijs, opibus iuuerit,
Peſſum rebelles dederit,
Palatinum,
Arce pulſum Imperij,
Solum, Salum vertere adegerit,
Reſpectantem Auſtriacos,
Tutati Imperij,
Monum.

Philippo Reg. III.

Quod à pace Regnum auſpicatus,
Reſtincto bello Gallico,
Vrbes, Arces magna vi captas,
Maiore animo reddiderit;
Pace ſequeſtra,
Italiam tumultu liberauerit,
Victore, dimiſſo exercitu,
Partoq; armis otio,
Ianum cluſerit,
Aſſertæ Pacis
Monum.

Philippe Rex III.

Nomen Numenq; Euchariſticum
Quod, cultum impenſiùs:
Virgo innoxia,
Quod appellata Sanctiùs:
Tutelares Angeli,
Quod habiti religioſiùs:
Franciſci cicatrices.
Quod obſeruatæ luculentiùs
Auctore te.
Cultæ Pietatis,
Monum.

PHILIPPVS
Hiſpaniarum Rex III.
Fidei, Paciſq; defenſor,
Quo nullus æqualium, arma ſumpſit prudentiùs,
Nullus tractauit moderatiùs.
Vtraq; Hiſpania,
IϽCCC. Poſt annos ſub Imperium accepta,
Perq; eas,
In Africam, Aſiam, Americam illatis Faſcibus;
Monarca maximus,
Aequato, Imperij amplitudine, curſu Solis,
Ferè immotus,
Terraſq; tractuſq; maris,
Alios potuit, ſi voluit ſub iugum mittere;
Sed ſapientiùs:
Non jus in armis poſuit,
Arma iure compeſcuit:
Nulla actus libidine dominandi,
Illaq; ſemper legè vſus,
Vt tutando, vteretur armis, Imperio,
Non parando.

Ca-

CAROLVS
Imperator V.
Armis,& Religione maximus.
Captis Regibus,
Cohibito Luthero,
Fuſo,fugatoq; Solimano,
Noſtris aris,
Imperioq; Occidentis imminenti;
Perculſis Afris,
Concuſſa Aſia,
Peragrata Victorijs Europa,
Vltrà, citràq; Gades,domitor hoſtium,
Fabuloſo felicior Hercule,
Vectorq; Pietatis inuictus,
Sub Iudice reliquit,
Triumphator Orbis,an vindex Religionis maior?
Regna tutatus Religione,Religionem gladio,

RODVLPHVS,
Auſtriaci generis Cæſar primus,
Religioſus.
Vexillo crucis,quam pro ſceptro delegerat,
Inſignis,
Auguſtæ ſtirps inclyta ſobolis,
Vndecimo iam ſurculo diues,
Cui,
Ad tollenda,XXX.ann. inter ſeptem viros disſidia
Imperium Religio attulit, Pietas extulit.

Fer-

FERDINANDVS ARAGONIVS V.
Catholicus,
Raimiri,& Alfonſi inſignes Victorias æmulatus,
Mauros, Bæticam inſidentes,
Aggreditur,debellat,
Orbem alterum ſuis repertum auſpicijs,
Sole Religionis illuſtrat,
Parto iterum Catholici nomine,
Quo nil terra maius,nil aſtra dant illuſtrius.

LEOPOLDVS,
Marchio Auſtriæ V.
Sanctus,
Fulget inter arma,ſceptraq;
Auſtriacum Sidus,
Sanctitatis luce conſpicuum,
Cœli decus,Eccleſiæ columen,
Innocentij II. Elogio,
B. Petri Filius,Pius felix:
Nempè,
Pietatem, largitur Deus,
Felicitatem, Pietas.

Phi-

Philippus, Dux Burgundiæ.

Obſequioſus.
In ancipiti Eccleſiæ diſſidio,
Redacto in ordinem Eugenio IV.
Suffectoq; Felici V.
Veteres Heroas imitatus,
Indicto, lupis Oues ſimulantibus, Bello,
Velleris aurei Ordinem,
Religionis ad obſequium inſtituit,
Omni maius Imperio, obſequium.

ALBERTVS II.
Virtutis alumnus
Honorificus,
Chriſtiani; & Cæſarei Nominis
Cuſtos vigil, & acer:
Sigiſmundo, aduerſus Liſcam,
Auguſto, aduerſus Amuratem,
Ingens occurrit:
Vitæ compendio, immortalitatem adeptus.
Satis gnarus,
Non occidere, ad Occaſum vitæ, memoriam, Nominis.

Fri-

FRIDERICVS IV.
Secundo Marte
Pacificus,
Qui nec pacem negauit victor,
Nec bellum detrectauit laceſſitus,
Belgas domuit perduelles,
Reges terruit, Duceſq; impigros:
Pacem amauit, quam arma peperiſſent;
Sed amauit,
Semperq; in ore habuit.
Pacem arma fouent,
Rex imperet armis

HENRICVS REX GALLIÆ IV.
Magnitudine egregius animi,
Animoſior infortuniјs,
Audientiorq; periculis:
Præreptum ſibi
Primorum conſpiratione Procerum,
Magnorum fœdere Principum,
Debitum iure generis, Regnum
Quæſiuit armis,
Vallatumq; reliquit Poſteris,
Tumultuantes lenta vi compeſcuit
Indulgentia ſubiectos, beneficijſq; deuinxit;
Martem quoq; perculit,
Conſternatis
Fama rerum, metu nominis, Hoſtibus:
Mortem perculit ipſam
Nihil auſam in poſterum aperta vi,
Furtimq; vitæ inſidias, terq; quaterq; molitam,
Suaq; ſibi magnitudine obuius,
Spreta temeritate Fortunæ,

Sibi ſemper expertus aduerſam,
Bellicis, Regiiſq; laudibus:
Ipſos adeò Romanos Cæſares, Græcos Alexandros,
Quos coniugata Virtutis felicitas extulit,
Longo anteiuit interuallo,
Quem ad Imperium Orbis terræ,
Sola vox Virtutis euocauit.

ROBERTO BELLARMINO
E Societate IESV
Marcelli II. Sororis Filiò,
Clementis VIII. Imperio
Cardinali:
Purpuræ ſedulò ambientis
Tàm ſacri veneratione fulgoris;
Quàm diſciplina Sociorum
Vſq; & vſq; refugo,
Archiepiſc. Capuano
Animo, Moribus, Oratione,
Sine fuco ingenuis
Alto, planoq; ingenio;
Collimanda collucanda adamuſſim Veritate
Inſigniter eximio
Ipſum ad iugum ſcientiæ, Pietatiſq; eniſo,
Triumphatori Hæreſum
Inuicto, immortali:
Proſequentibus Victoriam,
Editis ab ſe Monumentis,
Tutelari ſuo, Doctrina, & Veritas.

LA-

LADISLAO
Expetente magis purpura, quàm expetita
Cardinali de Aquino:
D. Thomæ
Cognatione ſanguinis, affinitate Virtutum
Gentili,
Epiſcopo Venafrano,
Multis infra ſe functo muneribus,
Pontificijs in Comitijs
Votis omnium,
Studio Patrum;
Eccleſiæ geſtientis humero,
Summum ad faſtigium vecto,
Euectoq;
Ni ipſo in articulo
Depluentis in ſinum Imperij,
Sublimius ad Solium aſtra repetiſſent;
Acerbo fato quamquam: Ann. ſup. LXX.

OCTAVIO AQVIVIVO ARAGONIO
Io. Hieronymi IX. Hadrianorum Ducis, Filio
Cardinali
Continuata cum Fratre, & Maioribus purpura
Archiepiſc. Neapolit.
Candore vitæ, Doctrinæq;
Latina etiam, Gręcaq; eruditione, vetere ornatu Familię
Inclyto,
Legato Auenionenſi
Prouincia, Bello ciuili, req; omni Chriſtiana tutanda
Strenuo:
Conſilijs capiendis, regendis, vrgendis,
In Pontificijs maximè Comitijs, incomparabili.
Franciſcus Aquiuiuus, Patruo Benemerent.
P.

ÆGIDIVS
Cardinalis Albornotius
Alta ab ſtirpe Regum Legionen. & Aragonenſ.
Archiepiſcop. Toletanus,
Maiore Pietatis, & doctrinæ,
Quàm Natalium, Maieſtate
Verendus.
Rem Hiſpanam, quoad licuit;
Romanam, quoad vixit,
Conſilio, labore, Virtute bellica
A vi, à ſeruitute vindicauit,
Aduerſus Mauros.
Alfonſo Primo Rege,
Periculi, & Victoriæ conſors,
Italos
Romanis arcibus inſultantes,
Summus Imperator perſecutus;
Extincto Innocentio VI.
Pontificiam dignitatem
Vltrò oblatam,
Labantemq; ſi Italia excederet,
Victor ſui
Maluit tueri, quàm adire;
Nec ante arma poſuit;
Quàm debellatis hoſtibus,
Vrbanum V.
Romanam in ſedem, Vrbemq; reuocauit,
Chriſtianæ libertatis Vindex,
Quò functus munere,
Magno parto Nomine, maiore otio,
Fato ceſſit;
Nec ceſſit tamen:
De bonis artibus,
De Hiſpano Imperio,
De nobiliore Hominum genere;

Fun-

Fundato Bononiæ Collegio,
Meretur adhuc,
Obijt Anno Sal. Hum. CIϽCCCLXVIII.
Inuicti cineres,
Tàm ſacri merito capitis
Quàm ſæcularis ſuffragatione, Iubilei indulta deferentibus,
Viuentium inſtar Pontificum,
Ceruicibus Virorum, Regumq; & Magiſtratum;
Corrigente etiam
Henrico IV. Rege Caſtellæ,
Acta fratris:
Aſiſio, delati Toletum.

PHILIPPO
Ex Ducibus Seminaræ, & Principibus Cariati,
Cardinali Spinello,
Archiepiſcop. Rhodienſi,
Fpiſcop Policaſtrenſi, & Auerſano
Pari, Natalibus, nobilitate animi,
Pari dexteritate, prudentiaq; agendi,
Compare Pietate;
Nec impare felicitate,
Sacris muneribus.
Legatione ab Clemente VIII. ad Cæſarem,
Legatione Ferrariæ;
Cum primum Romano Imperio,
Poſtliminio, Ferraria redijt,
Vitaq; ipſa,
Luſtrandum ob Gregem, functo.
Petrus Antonius Spinellus Fratris Filius
Archiepiſcop. Roſſanenſ.
Obſeruantiæ, Beneuolentiæq; ergo P:

Octa-

OCTAVIO CARDINALI BELMVSTO
Genuenſi
Tituli S.Caroli,quò primus eſt inſignitus,
Magna indole,
Maiore fruge conſilij, & probitatis;
Affatim in Epiſcop. Aleriacenſi
Vberius,Romæ munera inter ancipitia,
Patefactis:
Merito rerum geſtarum
A Paulo V. Cardinalibus,adlecto:
Intempeſtiua lege fati,
Tempeſtiua Virtutis,
Cuius ad iugum feſtinus euaſerat
An. IX. & L.
Deſiderijs omnium abrepto,
Auguſtinus Belmuſtus
Fratri ſuauiſſimo
Monumentum officij, & doloris. P.
Ann. ſalut. hum. MDCXVIII.

Beatrici
Duci Grauinenſium Vrſinæ
Iuſta ter Iuſta
Societas IESV.

DIDACO PIMENTELLO
Claſſis Præfecto
Inter vlnas Victoriæ vecto, raptoq;
Funereum triumphum
Viro vnanimi
Magdalena Guſmana exanimis.

Iſa-

ISABELLA
Ex Ducibus Vrbinatium
Feltria, Roborea,
Biſinianenſ. Princeps
Gentilitio, inſignis robore,
Aulæ, orbitatis, ægritudinis
Perpeſſa viriliter labores,
Cœlo hæſit firmius;
Vt frueretur beatius.

Maria Bermudez
Veremundorum ſuboles de Caſtro,
Auitæ virtutis inſignis hæres,
Feminam ſe, pro modo,
Pro modo, virum geſſit
Ab illa Pietatem, ab hoc, mutuata Conſtantiam;
Agendi, perferendi, ſapientiam
Amplexa infans, retinuit ſemper
In funere quoq;
Quod ab ea modeſtiæ ergo ſpretum,
Gratiæ ergo Societas IESV exoluit.

Catharinæ Caroaczolæ Ducis Montisleonis
Inuictæ Exemplo tolerantiæ
Sine exemplo,
Viroq; compari incomparabili,
Hieronyma Pignatella
Dux Montisleonis,
Matri mæritiſſimæ
Filia obſequentiſſima,
Lacrymarum ex aſſe Hæres
Iuſta anniuerſaria.

Clau-

Claudio Aquiuiuo
Societatis Ieſu.
IV. & XXX. annos
Præpoſito Generali
Diutinis omnigenum Virtutum experimentis decoro:
Explicata
Trans Gangem, trans Gades, trans Taurum, trans Caſpium
Societate,
Perque eam, Rè Chriſtiana.
Deſenſa
Per Dacos, Germanos, Gallos, Britannos, per Belgas
Fide;
Congregatio Natiuitatis Virginis Mariæ
Fundatori, ac Parenti Benemeritiſſimo
Exiguum iacturæ immortalis argumentum.

Fabio Riccardo
Sacri Conſilij Decano,
Exercitę Virtutis, exploratę probitatis
Viro Clariſſimo,
Secundis, aduerſis iuxta inrefracto
Iam iamq; ad ſumma euadenti,
Fati rapto inſidiis
Coniugi cariſſimo, Vxor mœſtiſſima,
Parenti ſuauiſſ. Filii merentiſſ.

Stabiis

Stabijs in Pyra Petri Io. Nuceriæ Collegij Societ. Ieſu Fundatoris.

Petrus Ioannes Nuceria,
Acrioribus Cælum conſpicatus oculis
Illuc opes, ſeſeq; tranſcripſit,
In Coniugio Cælebs,
In ſæculo Cænobita,
Sui triumphator, ac ſpolium,
Cuiq; nunc,
Quid illacrymamus ablato,
Si Cœlum plaudit laureato?

Neapoli in templo Societ. Ieſu.

Io. Thomæ Burrello.
Egenorum Aſylo,
Quod in vita, quod in obitu,
Inopem opibus Chriſtum,
Inopi opes quæſiuit Chriſto,
Cultumq; cæmentitiæ,
Cultumq; viuentis iugauit Aræ,
Facto ſibi ad cælum gradu,
Ex Monte verecundæ Inopiæ:
Montis eius Præfecti ſponte ſua,
Vt luminibus hiſce,
Illuſtrem ſideribus comitentur animum. P.P.

In Pyra Beatricis Vrſinæ Ducis Grauinenſium.

Te notat Vrſa, Vrſini Decus Generis,
Beatrix,
Cæleſte ſidus illa:
Mens ipſa es nitidior Cæleſtis;
Non vnquam occaſura, oritur illa ſemper;
Tu ſemel orta Cælo, haud occides vnquam:
Vtq; illa ouat curru vecta ſiderum;
Sic tù triumphas pompa vecta Maiorum,
Hoc illi diſsimilis,
Vnum Cæli cardinem bina ambit Vrſa,
Tù foues vna vtrumq; orbem;
Occidit illa oriente Sole
Tu Gentilitio vincis ſplendore oriens,
Vincis occidens
Septemplici Pietatis radio, Solem.

Ibidem.

Languet, heu languet Roſa
Vngue reciſa fati,
Crudelis fati;
Nec flore placabilis nec fruge,
At non hæc è ſpinis orta roſa eſt,
Nec è cruore Veneris,
Nec è campeſtri cęſpite,
Sed alta ab ſtirpe Procerum,
E Regum purpura,
Sanctorum è byſſo Pontificum,
E mortali ſanguine
Patriæ Vindici libertatis.

Beata roſa, & Beatrix,
Quæ Vrſi culta manu,
Manu lecta fati
Reflorefcentium decoras coronam Heroum,
Vt regenita Cælo,
Cæleſti repubeſcas æuo.

Ibidem.

Nenù tibi face parentatur atra,
Nenù ferali pyra,
Nenù immoriente Funera,
Beatrix Vrſina:
Ara parentatur triumphali,
Suis parcè luminibus,
Tuis abundè clara virtutibus,
In quà
Vita triumphat innocens, animus mitis
Concors Deo,
Nulli hominum aſper:
Mors quoq; triumphat,
Vita potentior, æuo digna immortali:
Tu, triumphas ipſa
Miniſterio mortis,
Ad imperium elata vitæ.

Ibidem.

BEATRIX
Dux Grauinenſium Vrſina,
Ingenio leni, ac placido,
Prono ad Pietatem,
Ad commiſerationem prono,
Eademq; fortis, & conſtans,
Cupiditatum,irarumq; potens:
Nubila,tempeſtateſq; æſtuantis animi
Sereno mentis excelſę,
Oculis, vultuq; ſemper hilari,
Infra habuit ſe;
Magnis par Maioribus,
Cultuq; Pietatis peruigili, & attento
Supra ſe enisa altius,
Meritiſſimo
Capitolio in hoc
Progenitorum ducit Agmen triumphantium.

Pompenaimus iacet extinctus,
Mars poſitis gemit armis,
Seſeq; in illo agnitum,
In illo lugeț extinctum,
Vulcanumq; cæcumq; increpat ignem,
Cui
Non vlla Virtus
Non vlla immunis Gloria fuerit:
Heu dextra armipotens,
Heu mens, pectuſq; infractum,
Hac tibi ſtat, Cæſar, dextra ſceptrum,
Hac tibi ſteterat,Philippe Rex,Belgium:
Modo pares in Aurangem reperiſſet animos,

Hoc

Hoc conſternatus fulmine,
Fractus Suecus eſt.
Hæc ad tumulum ingemit Mars,
Impoſitoq; Vrnæ inſcripſit ſcuto.
Hic Vir, hic ille eſt,
Quem, ſi Fata ſiuiſſent,
Græcos Duces, Duceſq; Pœnos,
Romanoſq; æquaſſet Germania Duces.

Idem.

Nec tumulo in tumulo conditur,
Nec æthere caſſus morte premitur atra,
Pro ſumma rei,
Pro ſumma deuotus Religionis
Pompenaimus:
Certus ille moriendi, vincendi certus
Regem ſpeculatus in acie,
Irruit in medios rapidus hoſtes,
Summouet dextra, leuaq; viles animas,
Arma manu, mortemq; ferens,
Regem voce tonat
Regem gemina glande ferit,
Semianimumq; dat pediti exanimandum,
Glandifero ipſe appetitus imbre,
Fatali traiicitur glande immeritus,
Seſeq; victriciaq; arma,
Egregiamq; refert ad ſuos animam,
Inq; ſuorum collabitur manus exanimis.
Ah ne Feretro efferte Victorem,
Curru ferte triumphali;
Nec inuerſa præferat ille arma,
Ingens præferat Guſtaui Adolfi Nomen,

In-

Ingentior ipſe,
Temploq; Capitolioq; in hoc,
Militare carmen incidite.
Religionis Vindex, vindex Cæſaris
Voti moritur compos. An. MDCXXXII.

Girardus Gambacurta
Mars ille, Mars,
Terror ille hoſtium,
Hiſpani propugnaculum Imperij,
Dux cordatus, & acer,
Sol conſilij ante prælium,
Belli fulmen in acie:
Vitæ ſi quiſquam negligens,
Gloriæ ſi quiſquam appetens,
Suo ſemper Marte trans Alpes Victor,
Alieno cis Alpes Marte,
Inuictus occubuit.

Henrici Regis Francorum IV. Conditi in templo Soc. Ieſu Cordis tumulus.

Vita mihi carior,
Fida Regibus ſecundum Deum, Societas,
Hunc habe fontem, vitæ fontem lacrymarum,
Qui tè ſerò complexus; ſed complexus arctè,
Præteriti iacturam temporis,
Futuri rependit vſura temporis;
Teſtatumq; vult cœlo, teſtatum terris,
Fidem, probitatemq; veſtram,
Donec ignoratam, fuiſſe odio,
Agnitam, fuiſſe, eſſeq; & fore in delicijs:
Agite, per Deum Immortalem, fideles Socij,
Condite tumulo, condite pectoribus,
Studioſum veſtri cor,
Cuſtodite quæ ritè, rectèq; fuere mihi cordi.

PHI-

Sine offenſione moderatur:
Cuius in ſe, ſuamq; domum promerita tot, tantaq;
Hoc commendat lapide Poſteris,
Cauetq;
Vt Piacularia ſacra
Pro ſe,pro Eleonorá Mariá coniuge,
In hoc Cœnobio celebranda;
Gaſpari quoque,
Eiuſq; coniugi Agneti de Azebedo,& Zunica
Matronalis ornamento generis,
Emmanuelis Sorori,
Ex æquo ſuffragentur.

Gaſpar Azeuedus, & Zunica,
Comes Montis Regij VI.
Vlloæ Dominus X.
Viedmæ IX.
Dominus domorum de Ribera,& Arauxo,
Clarus in exortu, in Occaſu clarior;
Inter arma pius,
In Imperio æquiſſimus.
Philippo II. Rege Hiſpan. maximo:
Cùm primùm Caſtellæ adiūcta Luſitania eſt,
Lecto ex Oppidis,Vrbibuſq; ſuis exercitu
Millium Peditum ſex,Equitum. CCC.
Virtuti fidens,non numero:
Patefacto ſibi ex Galecia,in Luſitaniam aditu,
Ingentem
Inter Durum, & Minium
Regni partem occupat:
Mox nouæ Hiſpaniæ,
Et
Peruani Regni Prorex;

Eo Alieni

Alieni abſtinens,
Sui parcus,
In egenos benignus,
Functus æuo, Limæ, vrbe Regum
An.æt.VII.& LX.
In natali ſolo auri, & argenti Prorex,
Rogata elatus ſtipe,
Splendidius fulſit face indigus aliena:
Suam ingemiſcente vicem, viduertatem ſuam
Orbe occiduo,
Chriſtianæ extincto Sole Religionis,
Cui
Immortalitatem æternat Nominis,
Non tàm ſubactus Indus, quàm Genius:
Nec tàm quæſita Hiſpano Imperio Regna,
Quàm medio quęſita in auro inopia:
Has intulit in tumulum gazas Gaſpar,
Has multis antè annis Agnes de Velaſco
Par
Genere, animo, moribus
Viro coniux:
Has Poſteris commendat lapis hic,
Quem
Talibus illacrymans, gaudenſq; Parentibus
Emanuel Fonſeca, & Zunica. P.
Ann.ſal. hum. CIƆICXXXIV.

Baltaſſar Zunica
Equeſtris Ordinis S. Iacobi,
Commendator Legionis maior,
Probo vir ingenio,
Fido conſilio, & ſalutari:
In magno apud Regg.Hiſpan.potentiſſ.numero,
Æqua-

Æquabili viguit auctoritate, & gratia;
Nec dubios euentus pertimuit aulæ,
Qui
Non ſe aulæ deuinxerat,ſed aulam ſibi:
A Philipp. II.
Ad Iſabellam Sereniſſ. Infantem
Et
Albertum Archiducem
Maioribus de rebus Legatus;
Legatione hac,
Et
Ad Rodulphum Cæſarem
Functus Philippo III. eſt,
Propoſiti, vbiquè compos,
Demandata quoquè
Ad Paulum V. Summ. Pontif.
Legatio eſt;
Statimq;
Philippi IV. pueritiæ ductor,
Tenellulam ætatem,ſuaui flexit induſtria,
Adultam,ſpecie rexit obſequij:
Mox intimus ſtatus Imperij Conſiliarius;
Nec ſcrutatus arcana,
Nec effatus vnquam eſt:
Supremi Italiæ Conſilii Præſidens,
Legi diuinæ, reiq; ſtuduit publicæ:
Vita functum, ętat. án. IV. & LX.
Fleuere Heſperię,
Fleuere Nationes exterę,
Pari ab omnibus cultum obſeruantia,
Quem virum,
Amplitudinemq; domus;
Vt auguſtum quid,
Et
Humana conſuetudine maius,

 Vnicè

Vnicè dilexit, reueritus ſemper eſt,
Flet etiam nunc,
Vrnamq;
Teſtem beneuolentiæ,& gratiæ
Patrueli ſuo,
Et
Franciſcę Claraut eius coniugi,
Virtutum nitore compari,
Emmanuel Fonſeca, & Zunica
Comes Montis Regij P.
An. ſal. hum. CIϽIϽCXXIV.

Tancredus
Ottoboni Marcheſii
Ex Sorore Boemundi, Tarentinorum Principis,
Filius,
Princeps Galileę,
Ter ille armis, ter Pietate potens;
Domita conſanguineis armis Aſia,
Capta Nicea, ſubacta Cilicia,
Auſpiciis, ac milite ſuo:
Imperio militari magnus, maior Imperio ſui,
Non ſceptra ſibi,Regna quęſiuit Deo,
Cunaſq; Chriſti naſcentis,buſtumq; renaſcentis,
Et natalę ſolum Pietatis, Paleſtinam,
Diuini luſtratam rore capitis,
Quod ab ſeruitute vindicauerit:
Andreas Marcheſius Reg.Conſil.
Gentili ſuo.

Ca-

Carolus Spinellus.
Sedis Nili, Marchio Vrſi noui,
Magnus animo, maior conſilio;
In aula Ferdinandi Cæſaris Conſiliarius, Marchio clauis aureæ
Tractandis, regendis natus armis,
Humanus in hoſtes, in ſuos munificus;
Italici nominis, vbi ius, faſq; ſtudioſus,
Exempla maiorum, auſpicia ſequutus Auſtriadum;
Pro Cęſare, Pro Reg. Hiſp. Philip. II. III. IV.
Ann. IV. & XXX. in Italia, Belgio, Germania
Centurio, Magiſter aciei, Dux exercitus:
Collatis ſignis decertauit X.
Sæpè hoſtium ſanguine imbutus,
Ter ſuo purpureus:
Ter ad Pragam, Coronam meritus muralem
Auctor prælii, auctor repetēdæ pugnæ, Germanis terga dātibus,
Et capiendæ Vrbis, in quam primus irrupit:
Dedita ſui opportunitate ſubſidij
Breda, Oſtenna, Incluſa, Bolduco, Vercellis:
Se aciem regente,
Plurimis, nō vno cōſtipandis marmore villis, Oppidis, Vrbibus:
Ter Obſidionalem, & Ciuicam:
Liberatis obſidione Poſſonia, Vxauia, Ieſino,
Prouincijs alijs, Regionibus, Exercitibus
Reſtinguendo intentus, cum Allobroge, bello
Nec audentibus in inuicti viri vitam armis,
Manu cadit medica
An. ætat. LIX, S. H, CIƆIƆCXXXIII.
Inſepulto. Monum. nomini, Fratri ſuauiſſ.
Io. Baptiſta Marchio Boni Albergi.
P.

Vin-

Vincentio de Franchis,
Inter aulicos Philipp. Reg. Hiſp. III. vix nouenni
Militari Equitum Calatrauæ inſignito duodenni.

Naſceris,& moreris quarta trieteride, Fili,
Heù quanta, heù qualis irrita ſpes cecidit:
Te rediuiuus Auus, quem re, quem nomine reddis,
Te quoq; & Heſperij Principis aula gemit.
I puer, i magne, ad ſuperos, virtutis alumne,
Eſt animo,atq; tua eſt indole,terra minor.
Filio dulciſſimo
Iacobus de Franchis Reg. Conſ.
Et
Iſabella Falconia Marchion. Octauiani.

Capyciorum Latro ſepulchrum,
A Petro ſtrenuo, pioq; milite
An. CIↃCCCXL.
Sibi, Gentilibuſq; P. ſuis,
Cineribus eius.
Io. Roberto Rege
Flaminiæ Vicarij:
Cineribuſq; Floridaſsi,
Ab arcanis Imperij,
Præfecti claſsis,
Regni Mareſcialli,
Neapoli Proregis.
Rebus,terra,mariq; Ladislao Rege,geſtis,
Proclamante adhuc Fama
Celeberrimi:
Cineribuſq;

Petri,

Petri,& Antonij
Alfonſo,Ferdinandoq; primis,
In ſupremo à latere Senatu,
Supremis muneribus inſigniter obitis,
Præclariſſimorum,
Aliorumq; non exiguo numero,
In magno ſui æui numero,
Auguſtorum.
Franciſcus,
Annibalis Capycii Latro.IV.Domini Niuani,
Filius,
Auis,Poſteriſq; reſtaurat;
An. ſal. hum. CIƆIƆCXXXIII.

Claudius Blanditius,
Patritius Brunduſinus,
Reg. Cam. XXX. an. Præſidens;
Inſigni probitatis,vitam,
Inſigni æquitatis,magiſtratum,
Tenore peregit:
Maritus,Iura coniugii ſanctè,
Cœlebs,ſanctius Aram coluit,
Extemplò Flamen Dei inauguratus;
Totoq; totum complexus animo Deum,
Terq; quaterq; petitam,
Vacationem impetrare muneris nequiuit;
Factaq; nouo exemplo à Phil. IV.poteſtate,
Curiam pro libito adeundi;
Vti pro libito noluit,
Quippè magiſtratibus,
Aut magiſtratui vacandum,aut magiſtratu,
Semperq; frequens,
Ad vltimam vſq;ſenectam,fatalemq: diem,

Nul-

Nulli mancipatus hominum,
Auctoritatem in Curia, Imperium retinuit domi,
Suis, exteriſq; reueritus,
Obiit an. ætat. LXXXIV. ſal. hum. CIↃIↃCXXXVI.

Marius de Vipera,
Ne me lenociniis carpas honorum,
Sæua magis, quò mage ſera Mors.
Templi huius ab infantia cultor,
Perq; gradus omnes Arhcidiaconus,
Memor mei, nec immemor tui,
Hunc mihi tumulum pono,
Titulumq; addo.
Marius de Vipera,
Inani ſe ſe viuus tumulo compoſuit,
An. æt. LXX. ſal. hum. CIↃIↃCXXXV.
Æquiorq; grauiorq; compoſitus pleno eſt.
An. æt. LI. ſal. hum. CIↃIↃCXV.

Iulius Iaſolinus Hipponiata,
Seculi Epidaurus ſui:
Molli manu ferrum retundere inſtantis Fati,
Et arte Pœonia,
Fines producere mortalis æui potens,
Suiq; potens, vita innocua,
Auriq; potens, viduatos ope, ope fouens gratuita:
Nec ſibi, nec nomini metuens ſuo,
Veſpaſiani Fratris teſtamento,
Hoc commendatur lapide Poſteris.
An. ſal. hum. CIↃIↃCXXXV.

Ge-

Geminis vitæ hominum indigentijs,
Gemini, pro ſe quiſque, conſuluere Fratres;
Æuo ſolubriter producendo, Iulius,
Otio, fortuniſq; fruendis,
I. V. Conſultus, conſultorq; magni nominis,
Columenq; Pietatis,
Veſpaſianus Iaſolinus:
Hauſta è ciuilis ſapientiæ oraculis,
Vultuq: dictiſq; factiſq;
Expreſſa, defenſa, probata æquitate,
Ad an. vſq; æt. LXX. S.H. CIƆIƆCXX.

D. Sebaſtianus Draconettus, D. Proth. Apoſt.
L. an. Canonicus,
Iacet hic,
Nec iacet tamen,
Sacræ Theologiæ, vitæq; innoxiæ,
Sublatus alis,
Hic vetuſtatem exuit, reparauitq; æuum,
An. æt. II. & LXXX.
Sal. Hum. CIƆIƆXXX.

D.Honuphrius Draconettus,
Studio Pietatis,fulgore Doctrinæ,
Patrocinio inſignis inopum:
Nullo ætatis,multo virtutis ſuffragio:
Duodennis Canonicus,Decanus adoleſcens,
Flauij Cardinalis Vrſini Auditor.
Magna ſcientiæ,&æquitatis laude commendatus,
Agnituſq; & ad intimam admiſſus conſuetudinem.
A cæſare Cardinali Baronio.
In omni vita grauis,& ſeuerus,
Frequens,in templo,rarus in foro,
Publicis,priuatiſq; precibus aſſiduus.
Mortem obijt feſtiuus,& hilaris,
Surgenti ſimilior,quam cadenti.
An. æt. VIII. & LXX.
Sal.Hum.CIϽIϽCXII.

Molleſce paternis,
Maternis molleſce lacrymis,Marmor;
Scipio Graſſus de Arris I.V.C.
Spes alta fori,
Muſarum decus;
Innocentiæ,in æſtu ætatis,
Inter litium turbas,æquitatis,
Cultor eximius:
Non dum.x. trieteride plena,
Fato raptus acerbo,
Hoc ſitus tumulo eſt,
Quem,
Io:Thomas Graſſus,& Lucretia de Ponte
Parentes mæſtiſſ.
Sibi, Amitæq;
Et I.V.C. Iacobo de Filippis Genero P.P.
An.ſal.hum.CIϽIϽCXXXV.

Vgo

Vgo Marcheſius,
Magnis ortus Parentibus,
Tancredo Principe Galileæ,
Et
Cæcilia Philippi primi Francorum Regis Filia,
Appellatione Comitis,regiæ tunc proxima:
Dominatu potens Moliſij,
Regali munificentia,ac Pietate,
Oppida quoquè largitus,
Cœnobitis Montis Caſini,
Regijſq: publicè,priuatimq; actis,
Acceptum à maioribus,
Regale decus generis,
Auctum reliquit Poſteris,
Regioq; fert animo,
Impar hoc Monumentum.
Ab Andrea Marcheſio Regio Conſiliario,
Magno P. Auo,
Ann. ſal. hum.CIↃCICXXXVI.

Marcellus Pignonus,
Marchio Orioli primus,
Perito,infractóq; vir animo;
Suetum per iter,
Ad inſuetum euaſit gratiæ,& dignitatis apicem,
Carolo V. Cæſare,
Regiæ Cameræ Præſidens,
In Daunia Promancipe;
Agrorum cultum,
Remq; omnem pecuariam,
Certis circumſcriptam finibus,
Permanſuris ſanciuit legibus.
Regiam,Neapoli,ac Madrithij,Cancellariam,
Togatus rexit, ac Sagatus:
Proregis, aulæq; proregalis, in Sicilia,
Cenſor æquus,& conſtans,
Status Imperij Philippo. II. Conſiliarius,
Summiq; Italiæ Conſilij Præſidens,
In culmine deceſſit honoris,
An. ætat. Sal. Hum.
Maior inuidia,haud alea maior inuidiæ.

Sparge humum floribus,ſparge lacrymis,
Viator,
Ferdinandus Brancia,
Franciſci Paludens: Irpinorum Marchionis,
Filius,
Eques S.Iacobi.
Selectos inter Reginæ Hiſpaniar.
Equeſtris ordinis pueros;
Præclaræ ſpes vna,& adulta ſobolis.
Maturus æui in pueritia,
Ad belli ad pacis munera,
Excelſi indole animi,
Ad inſtar compoſitus maiorum,
Quem,
Ferdinandus Brancia,
Summi à latere Conſilij Regens,Dux Beluederij.
Conditum animo,hoc etiam tumulo condidit,
Vnigenam Nepotem,ſecundus Pater.
Natum Neapoli VII. Cal. Aprilis. An. CIƆIƆCXVI.
Denatum Madrithij pridie Nonas Nouembris
An. CIƆIƆCXXXII.

Ma-

Marius,
Ex præclariſſima Hetruriæ Familia Pepi,
In vtraque paleſtra ſcientiæ,ac Pietatis egregius,
Sumpta Neapoli Iuris prudentiæ toga prætexta,
In Italia,ac Germania luce fulſit Ingenij:
Miſſus, vix ephebus,à Petro Toleto Prorege,
Garſiæ Toleto Filio,
Apud Carolum.V.Cæſarem Patronus,
Inſigniſq; patrocinij gratiæ retulit ergo,
Vt alueolum. Excellent. Gentis Toletanę ſtemma,
Suis adderet inſignibus,
Statimq; à tuendo,ad dicendum Ius vocatus,
Sæpe Prouinciarum Conſiliarius,
Sæpe in cauſis criminum, Neapoli Iudex;
Totius etiam exercitus Generalis Auditor in Latio,
Aduocatus, vindexq; criminnm pro Fiſco:
Renunciatus à Philippo Rege Hiſpaniarum II.
Huic,alijſq; curulibus Magiſtratibus;
Nec petenti,nec appetenti ſæpe, oblatis,
Remiſſo nuncio:
Sacratiores,ſecretioreſq; in ædes D.Franciſci de Paula,
Seceſſit,non vt otio langueret inani,
Sed vt ſibi conſultius, Deo vacaret cumulatius,
Copijſq; ſuis,multorum verecundæ ſubueniret inopiæ,
Dignus quem Poſteri ſuſpiciant,
Et Patre dignus Io. Antonio,
Qui Philoſophiæ,Thelogiæ,Iuris prudentiæ,
Aliarumq; diſciplinarum ſpatia,
Prouinciaſq; Conſiliarius,
Iudicumq; Neapoli munera ſæpè emenſus,
Editiſq; ab ſe Monumentis,
Et latina Ciceronis eloquentia,vberiore ſententia auctior,
Piperonus, incremento cognominis, vulgo dictus eſt.
Vixit Marius in Cœnobio An, XLVI.
Æuo functus An. Æt. XCI. Sal. hum. CIƆIƆCI.

Ser-

Sertorius
Marij Pepi germanus Frater,
Ingenio,moribus,eruditione,Patri,Fratriq; compar;
Intimos naturæ receſſus,ductu rimatus Philoſophiæ,
Seuerioris diſciplinæ aſperitatem,
Politioris doctrinæ,eloquentiæ cum primis,
Suauitate molliuit,
Latina,Græca,Hebrea lingua altè imbutus,
Soluta,vinctaq; oratione, nulli ſecundus;
Acceptum à maioribus familiæ Decus,
Illuſtratum tradidit,Horatio Filio,
Cui Victoria nupſit Strambona:
Illuſtratum Corneliæ filiæ,
Troiano deſponſæ Minutulo, ex Dominis Valentini
Equitibus.
Vnus Auos,Proauoſq; Patremq; Matremq; Patruumq;
Refert Io.Baptiſta Minutulus,
Tantorum Nominum hæres vnicus.
Monumenta hæc,
Magnis Auis, Hortentius P. Pepi,
Cauſarum Neapoli Patronus,
Fidus,frugi,coſtans.

In

In obitu Victoriæ Iennarellæ.

Siccine me, à me diſcerpis, Filia?
Rape vitam, cui rapuiſti cor:
Hærent infixi animo vultus,
Verbaq; ſaleſq; leporeſq;
Queis, verita ne caperetur Mors, illecebris,
Tibi, non dum octenni,
Fauſces obſtruxit, angina,
Peſte nuper, & illutibili.
Mihi,
Luce ſublata vitæ,
Non Mortem diſtulit:
Sed protraxit.
Alexander Iennarellus I.V.C.
Sibi.
Et Victoriæ Filiæ vnigenæ,
An. Sal. hum. CIƆIƆCXXXVI.

In

In obitu Ferdinandi Caroaxzoli Ducis Areolanorum. III.

Quo me rapis, Pater,
Ab vbere, ad funus,
A genethliacis, ad Nænias:
Quidue mortem properas, vix ephebus?
Oblitus mei ignarus tui,
Qui,
Maturus animi, atque morum;
At non maturus æui,
Feſtinas, feſtinata ſapientia, fatum:
Reſiſte, clamantem filium, audi;
Ne vni tibi Conſule, Pater,
Prima petens iuuenta cælum:
Conſule tuis,
Quos æqua puer, æqua rexiſti lance, adoleſcens,
Et mihi conſule, Pater,
Qui duce orbatus vitæ, luce animi,
Abiectus ad lacrimas,
Supplicia meæ, non præſidia infantię, lacrimas,
Madentibus oculis,
Vdo vrnam P. cineri:
Vt, qui viuenti præſtare officia pietatis nequeo,
Poſtremum hoc merear,
Benemerentiſſ. de Patre filius.
Franciſcus Dux Areolanor. IV.

Feruet extinctus,
Viua in D. Trophomenam pietate:
An extinctum, an Viuum eius iuxta cinerem,
Sponte poſitus ſua,
Frater Bartholomæus Brandolinus?
Concionator ille diſertiſſimus,
E familia Prædicatorum:
In magno apud ſuos, apud exteros numero,
Poſt pręclara ſui ordinis munera,
A Paulo V.
Epiſcopus renunciatus Minurenſis;
Tiara minore, quam merito,
Et minorę meritis, tumulo conditus,
Quem
Ferdinandus Brandolinus I.V.C.
Patruo Benemeritiſſ. P.
An. ſal. hum. CIↃIↃCXXXVI.

Petrus Fernandez de Caſtro, Comes Lemenſium X.
Summo ingenio, pietate pari,
Muſarum, martiſq; pro modo, boni publici,
Virtutis, ſine modo, ſtudioſus:
Neapoli Prorex ſeptemnium.
Honeſti, rectiq; propugnator inuictus,
Modeſtia abſtinentiaq; inexpugnabili,
Sui potens, ac Suorum:
Relicto ſui deſiderio, ac fama perenni,
Ad Regiam Præſes accerſitus Italiæ,
Otium negotio prætulit,
Honoris, ac potentiæ prodigus:
Vitæ nec auarus,
Quam longeuæ Genitrici, faucibus ereptæ fati,
Victima pietatis immolauit,
Madrithij an. ſal. hum. CIↃIↃCXXI.

Anto-

Antonius Aragonius,
Multo ſublimis faſtigio,
Natalium,opum,faſcium:
Par Regibus Infans,
Splendidior Regulis,Princeps,
Maior Principe,Dux,
Duce,& Principe,& Rege,
Nou extinctis, ſepultis ſponte tædis;
Flamen Dei maior:
Submiſſis pio obſequio faſcibus,
Religioſæ adoptioni,natalibus,
Ditiori indigentiæ,opibus,
Dato ſocietati Ieſu nomine,
Suo moritur maior faſtigio,
Spretoq; Mauſolæo,
Humili hac conditur humo ſublimior.

Hector Pignattellus Dux Montisleonis IV.
Auguſta comitate verendus omnibus,& carus
Coniugata Virtute
Se pronubo.
Summis natalibus, ſummis honoribus,
Summis caſibus vtriuſque fortunæ:
Victor ſui rebus in arduis.
Humaniq; diuinique collineator officij
Barcinone Prorex,
Moderati forma Imperij
Exploratæ prerogatiua continentiæ,
Ductor Iſabellæ Philippi III. Infantis
Regi nuptę Francorum,
Regemq; apud ipſum extraordinem legatus,
Bello Allobrogico pacis auctor Italicę
Magnatibuſq; Conſiliarijſq; Imperij Regum Hiſpan.

Merito adlectus ſuo.
Suo etiam exemplo docuit,
Quam ſit extra inuidiam extra aleam Gratia Regum,
Si modicè & ad publica commoda vtare,
Vixit an. IV.& L.
Denatus Madrithij pridie nonas Auguſti,
Anno ſalutis CIƆIƆCXX.II.

Aloyſio Riccio,
Equeſtris ordinis ſedis Nili.
Epiſcopo Aequenſi:
Vitæ innocentia,doctrinæ præſtantia,
Præcellenti,
Pręclariſſimoſq; maiores,
Michaelem,Alfonſo Primo,Conſiliarum,
Vices Prothonotarij,
Locumq; magni Camerarij tenentem:
Romanos ad Pontifices,
Germanos ad Cæſares,
Pro pace,Legatum:
Perloyſium,
Inſigni poteſtate,
Nothos ad ius legitimæ prolis aſſerendi,
Inclytum.
Antonium Regij Archiep.
Itemq; Michaelem.
Gallis Regg.Conuentui Burgund.
Præſidem,
Vice Prothonot;legatumq; ad ſum.Regg.
Inſigni fama nominis,
Præteruecto.
Patruo Benemerentiſſ.
P. P.
An. ſal. Hum. CIƆIƆCXXXI.

Fama

Fama Sile,
Nec tumulum hic nec titulum pone,
Magnis conferendus Regibus.
Situs, vetuit,
Partumq; ære nomen, ære tegit:
Virginis Annunciatæ Xenodochium,
Cui trecenta aureor. millia viuens dederat,
Hæredem ex aſſe inſtituit,
As propè decies centena mill. aureorum fuit,
Cauitq;
Ne buſtum faxint, ne funus:
Si faxint,
Dare damnas eſto Xenodochio inſanabilium,
Aureor. M.X.
Iam ſile, Fama, ſi potes;
Nî potes,
Aſcanium Eliam, Lucerienſem,
Paranda, eroganda pecunia, ſtrenuum pium,
Ne tuba cane, inſuſurra auribus,
Crebreſcet, mi crede, magis,
Obijt An. ſal. hum. CIϽIϽCXX.

I licet, Viator,
Monumentum haud ſum, ſepulcrum elingue ſum,
Quem condo,
Studuit benefacere, & neſciri.
Millia aureor. multa, papè quam plurima,
Xenodochio huic dedit, reliquit,
Multam dixit, ſi prodatur, taceo:
Antiquum ſàpuit,
Rem, non titulum in pretio habuit,
Cenſorio pro funere, preces:
Pro Epitaphio, ſacra:
Superbo pro Mauſolæo, humile requietorium mauoluit.
Sit Voti, qui fuit, ſui compos,
Nullus iaceat:
Quamquam, nullus dum iacet, multus iacet.
Elatus eſt Neapoli An. ſal. hum. CIϽIϽCXXV.

Friderico Gentili,
Sanguinis, coniugii, morum,
Tergemino vnanimis nexu,
Eoq; præciſo, nec viua, nec exanimis,
Superſtes dumtaxat lacrimis,
Eleonora Cardona.
Nunquam poſito luctu,
P.
An. ſal. hum. CIϽIϽXXIV.

Ful-

Fuluius Conſtantius,
Marchio Caroliti,
In ſupremo à latere Senatu Regens,
Per omnes gradus ad culmen honoris,
Nulla ætatis,multa virtutis prærogatiua euectus.
Prudentia rerum:ſcientia iuris:artibus imperij,
Pro dignitate ampliſſimi ordinis,
Maieſtatem loci eius impleuit,
Viciſſitudinibus aulæ immotus,
Inconſtantis fortunæ exemplum conſtans
Vixit an. In magiſtratu,
Obijt an. ſal. hum. CIƆIƆCXX.

Laurentius Rogerius,
Salerni,& Neapoli,
Iuris interpres certus, & locuples,
Alto ingenio,& perſpicuo,
Eodemq; memori,& laborioſo,
Animo ad normam Virtutis,
Comiter graui,ſine fuco prudenti,conſtanter pio
Fallendi dumtaxat ignaro:
Oratione concinna,& fluente,
Auditu,viſúq; iuxta iucundo,& ſeuero,
Spreto curuli magiſtratu,poſthabitis infulis,
Fato etiam teſte violento,ac breui,
Magnus.
Obijt.Neap.an.æt, ſal.hum.CIƆIƆCXXIIV.

Melchior Reuillonus,
Plurimæ,& præclaræ ſtipes ſobolis,
Primæua domum rexit ſanctitudine,
Officij clàm,palàm tenax,
In egenos apprimè benignus,
Quin,
Vaticanæ Neap. Oeconomus fabricæ,
Sanctorumq; Vindex legatorum,
Eò frugalior,quò lenior:
Quidquid muneri ſubtraheret ſuo,
Vacabat Deo;
Deo quod non impenderet,
Muneri vacabat ſuo:
Ambigui certa forma Magiſtratus,
Obijt an. æt. ſal. hum.

Ne imparatum mors inopina raperet,
Vitam meditatione rexit mortis,
Mortem ſpe hebetauit immortalis vitæ,
Fatiq; nec negligens,nec metuens,
Se tumulo pridem,
Sibi tumulum nuper parauit.
Frater Martinus de Leone, & Cardenas Hiſpanus.
Ex ſacra Eremitar. Relig.D. Auguſt.
Epiſcop. Puteolan.
Inter Papæ Aſſiſtentes,& Reg.Conſil. cooptatus
An.æt.XL. ſal.hum.CIƆIƆCXXXIV.

Leonardo Vairo,
Lateranenſis Eccl. Romæ Vicario,
Epiſcopo Puteol. Benemerentiſſ.
Paſtoralis muneris laudibus inſigniter ornato,
Præclara, ſed ſeneſcente ad nos delato fama;
Ne immortalitate dignis, ſua deſit vita cineribus,
Ne deſint exempla poſteris,
Præmia virtuti.
Hunc ei,
Hunc futuris deinceps Epiſcopis,
Frater Martinus de Leone, & Cardenas Hiſpanus,
Ex ſacra Eremit. Relig. D. Auguſt.
Epiſcop. Puteolan.
Inter Papæ aſſiſtentes, & Regios Conſiliarios cooptatus,
An. ſal. hum. CIƆ.ƆCXXXIII.

Io. Baptiſta Balſamus,
E patritia, ſemperq; odora
Meſſanenſi balſamo,
Et
Beatrix Medicea Coniux,
Natiq; Parentibus non indecores,
Odoratum redacti in cinerem;
Gentilitio opobalſamo,
Cœleſtibuſq; fragrant virtutibus,
Non tam ſiti, quam ſati.
An. ſal. hum. CIƆIƆC.

Vir-

Virtutis excelſæ humile faſtigium,
Meriti maioris, quàm præmij,
Ne præteri inconſultus Viator,
Placidus de Marra
Comi probitate,
Ciuili ad libellam religionis prudentia,
Doctrinæ politioris, ſanctioriſq; ærarij
Egregius,
Legatione ad Cæſarem difficillima
Pro nomine,& re Romana functus feliciſſ.
Pro valitudine,vitaq; ſua improſperè,
Præter omnium vota,plauſumq.
Ingemiſcente purpura,
Epiſcopus moritur Melfitanus,
An.æt. LX. ſal. hum. CIƆIƆCXXV.
Tu caue accuſes ſidera, ſtudio famulata Præſulis,
Virtutem impenſiùs quærentis,quàm inſignia virtutis.

Ioanni Thomæ Burrello
Ob extructum exornatum
Sancto Carolo
Aere ſuo hoc ſacellum,
Te, Lapis,
Teſtem rei, teſtem animi,
Elinguem, nec tacentem,
Societas Ieſu Gratiæ memor
P.

Cæſar Carmignanus
Publici bonus auctor commodi
Ducta ad molas,ad fontes ære ſuo aqua perenni,
Superata etiam eluuione Veſuuiana,
Refectis aquæductus damnis ære pectoris triplici,
Verbis parcus, factis ingens
Nomen muto lapidi,
Famam nominis lymphis tradidit vocalibus.
Functus æuo an. æt. VIII. & L. Sal.Hum.CIↃIↃCXXXIV.

Io. Thomam Rogerium
Patrocinio cauſarum inſignem
Comendat genus, decuſq; generis, maiores ſui;
Commendat partum ab ſe ſibi, generi, Patriæ,
Seculo partum ſuo nomen.
Ingemit,
Acri, ſolerti, fido, obſeruantiſs. viduatum Patrono Forum;
Ciuilis ſcientia ingenti orbata alumno,
Choro ingemit ſtipata Muſarum,
Ingemit, ſuumq; requirit cultorem Religio,
Fatum ingemit ipſum,
Publiceq; defleti ſibi inuidet laudem ſpolij,
Obijt an. æt. Sal.Hum.

Andreas Matthæus Aquiuiuus
Princeps Caſertæ III.
Eques Velleris aurei,
Status Imperii Conſiliarius,Decanus,
Dux Turmæ Equitum,
Artes, laudeſq; Principis tetigit,
Nihil humanitate,nihil liberalitate habuit prius,
Sapientiam diſciplinæ veteris
Nec exorbuit,nec ſalutauit à limine:
Chriſtianam accuratè coluit,
Militiam aduerſus fidei deſertores pro viribus,
Rempublicam
Non ſine rei familiaris detrimento
Iuuit, quoad potuit;
Vbi nulla ſpes,prudenter abſtinuit;
Nihil molitus incaſſum,
Pietatem,animiq; magnitudinem
Ægra diu probauit,auxitq; Valetudo:
Mors etiam forti admiſſa animo,& alacri
Veri Principis agnouit, extimuitq; vires,
Obijt an.æt.LIV. ſal.hum.CIↃIↃCXXXIV.

Io. Antonius,& Io.Agnellus Mareſca.I.V.Conſulti,
Ex antiqua, ſplendidaq; Neapoli familia,
Fratres germani, vnanimes,
In maiores, in poſteros,in ſe ipſos,
Pij,Benemerentes, officioſi
Sepulcrum hoc viuentes P. P.
An.ſal.CIↃIↃCXXXIII.

Fa-

Fabius
Ex Comitibus Moliſij, Principibus Beneuenti,
Et magno Galilææ Principe Tancredo.
Marcheſius,
Bellicis ſuorum in Reges obſequiis
Præſidia iunxit legum,
Quarum patrocinio, certoq; ſenſu
Velut, Iuriſprudentiæ partu ſatus,
Sapientiæ lacte nutritus,
Oraculi inſtar vbiq; habitus, conſultus vndique,
Poſthabito magiſtratu maiorum gentium curuli
Non ex tripode, ſed ex ara
Procul ambage reſponſa dabat:
Nulli impar æuo,
Prudenſq; Iuris, prudenſq; agendi, & fandi:
Legatus pro Regina Poloniæ ad Greg. XIII.
Fama agnitus nominis maior,
Dubium reliquit,
Sapientior ne eſſet, an ſcientior;
Par ſibi, ac ſatis;
Laudiſque menſura aliis,
Quiſquis quaque in re egregius, inclitus,
Alter dicitur eſſe Fabius Marcheſius,
Fato non æuo functus an. æt. L.
Sal. Hum. CIϽIϽ.

In

In obitu Fabioli Andreæ Marcheſij primogeniti Primi Montiſmarani Principis.

Quo fugis fili?
Quò prima Patris ſoboles,primus amor?
Vir animo,pietate Vir,ætate infans;
Quò magni inchoata imago aui,
Quem mihi nomine,quem ingenti indole refers
Fabi?
An auus tibi Patre potior, & Matre iucundior?
Si potior, & iucundior:
Reſiſte, ſimulacrum abſolue,
Redde Patrem Patri,& Patri redde filium,
Animula ſancta;
Aut
Redde Patrem Auo,& Patrem tibi adde comitem fili;
Vt tergemini ſocietate æui
Vita ſit illa beatior,
Tuq; meo incedas comitatu lætior,
Tuo ego ductu certior
Obijt an.æt. menſe

Ci-

Ciuis collacruma,
Hic ſitus eſt Franciſcus Finitius,
Legum alumnus, ac Parens celeberrimus.
Quid hæres? an nouum hoc nomen tibi?
Sane nouum? quia exploſo natalitio,
Aptius eximia vis ingenij importauit, & aluit;
Ergo hic ſitus eſt, Abbas, Ariſtoteles,
Legum publicè, priuatimq; Interpres,
Qui, cum genitas ab aliis leges, repetito fœtu parturit,
An. æt. XXXVII. acerbo intercipitur fato,
Iam agnoſcis, collacruma.
Filio dulciſſ. Parentes mœſtiſſ. PP.
An. ſal. hum. CIƆIƆCVIII.

Al-

Alfonſus Suares Meſſia,
Magni Camerarij Locumtenens,
Regenſq; à latere,
Candidatus,Candorq; legum,
In quo, omnium Iuriſperitorum inſtar fuit,
Placita Sapientum,
Edicta Regum,
Iura municipalia,
Omnemq; vaſtitatem Pontificij iuris, & Cæſarei
Velut in pecunia haberet numerata;
Quicquid locus, tempuſq; exigerent
Ex ærario promebat pectoris,
Et,
Quamuis plerumq; ex tempore,
Semper viſus eſt dixiſſe meditatus;
Seculumq; nactus peritiſſimorum æqui,
Inuidia maior
Totius Europæ elatus luctu eſt,
Non tam Alfonſum lugentis
In admiratione victurum ſeculorum omnium,
Quam ſcientiam Iuris;
Quæ animante deſtituta ſpiritu
In tabulis, monumentiſque
Iacenti degeret ſimilior,quam ſpiranti.
Obijt Alfonſus an. æt. LVIII. ſal. hum. CIↃIↃCXIV.

Aliud.

Alfonſus Suarius Meſſia
Magni Camerarij locumtenens,Regenſq; à latere,
Candidatus,Candorq; iuris,
In quo vno omnium Iuriſperitorum inſtar fuit
Expertus in ſe quoq; Sycophantiam,
Aduerſus eam,velut aduerſus Hydram,
Hercule validius Puteolis inſurgens,
Perpetuiſq; vnde viginti horis,
Scribendo,commentando ducto,pro claua,
Iuris prudentiæ calamo,
Seſeq; ſociosq; vltus egregie,
Hauſta medullitus mephite,
Strato ſuper hoſte victor iacuit.
An.ſal.hum. MDCXIV.

Clarici Suſannæ
Ex Amati Dominis,
Priſcæ Suſannæ animo, & corpore perſimili,
Vxori optimæ,
Victoriæq; Liuiæq; & Franciſco Mariæ
Filijs dulciſſimis,
Marcus Antonius Ruſſinus,
Fiſci Patronus Catazorij,
Criminum Iudex Neapoli,
Vir,parenſq; moeſtiſſ.P.
An. ſal. hum. CIↃIↃCXI.

Io

Io. Franciſco
Pauli de Sangro Marchionis, Turris maioris filio,
Eiuſdemq; oppidi, Regis largitione, Duci
Sanſeueri Principi,
Supremi Regni Senatus Conſiliario,
Animi vigore, robore corporis,
Armorum arte ſtrenuo;
Turmæ equitum Præfecto vix Ephebo,
Legato peditum, Equitumq; Vij.
Nauium in Claſſe Tunetana Generali,
Collatis ſignis congreſſo X.
Singulari certamine II.
Bis confoſſo equo reduci, ſemper Victori,
Quamquam non incruento,
Afris, Turcis, Gallis, Belgis, Italis formidato:
Hiſpan. Regibus,
Manu, & conſilio frugi, & percaro.
Alexander de Sangro Patriarcha Alexandrinus
Parenti Benemerentiſſ. P.
Obiit an. æt. LXXX. ſal. hum. CIƆIƆCIV.

Carolus
Ferdinandi Spinelli Ducis Caſtrouill.
Supremi à latere Conſiliarii,
Grauis armaturæ Equitum Præfecti,
Magniq; Prothonotarii
Filius.
Extrema pueritia ad Senenſe, & Oſtienſe bellum
In militiæ diſciplinam profectus:
Ineunte adoleſcentia regias equitum turmas
Octoginta Equitibus ad Truentum,
Ac ſæpe alias,
Claſſem duabus triremibus, ſua pecunia, auxit

In Granatenſi tumultu,
Et
In inſigni nauali pugna ad Echynadas
Ductu, auſpicioq; Io. Auſtriaci
Egregiè operam nauauit;
In bello Luſitanico tribus,
In Belgico quatuor Equitum millibus
Tribunus præfuit.
Patriæ tumultus Prætor Vrbis ſtrenuè compoſuit;
Oram maritimam,
Quam ſæpe cum imperio luſtrauit,
Prædonum incurſione prohibuit:
Quæ Regi probanda, Patriæ profutura videbãtur
Domi,foriſq; perfecit,
Supremi Conſilij particeps,
Sibi, & Eleonoræ Criſpanæ coniugi cariſs. P.
An. Sal. Hum. CIƆIƆCV.

Donata Balduina
Viro vnanimis,
Intra modum prudens,ſine modo pia,
Nec litigioſa, nec inquies;
Exactis in coniugio an. IV. & XX.
Enixaq; feraci ſterelitate maſculæ virtutis famam,
Præclari nominis fœcunda mater,
Tædas non extinxit moriens,ſed ſuccendit;
Ne parte altera thalamus vacet, & tumulus
Frigide Lapis,me ſub cineribus flagrantem non ſentis?
Sentio calentes ego ſub pectore cineres,
Votiſq; coniugis mea vota condo.
Beliſarius Paladinus,mœſtiſs.fidiſſ.
An. Sal. Hum. CIƆIƆCXX.

Io.

Io. Franciſcus
Thomæ Spinulæ,patritii Genuenſis filius,
Quouis Mauſolæo maior,
Simplici,ac nuda lapide tegitur:
Sic moriens mandat,
Mortemq; eludit,
Nam filius in animo Patrem,dum paret,condit,
In quo ille imperet,viuat,ſpiretq;
Vixit an. L.XXII.
Thomas Spinula Parenti benemerentiſſ.
Obſequentiſſ. P.
An. ſal. hum. CIƆIƆCXIV.

Julio Cæſari Riccardo
Archiepiſc.Barienſi,
Qui,
Religione in Deum, benignitate in pauperes,
Prudentia, ac ſolertia agendi incomparabili,
Se cuiuſque ordinis hominibus,
Præcipuè ſummis Pontificibus.probauit: ;
In legatione maximè ad Allobroges
Difficillimis temporibus præclare obita,
Studioq; gregis cum rediret,
Neapoli morte occupatur
Sibi non immatura,Suis peracerba,
Obiit Idib.Febr.CIƆIƆCIII.æt.an.L;
Alexander Epiſc.Sueſſanus,
Fabius Reg.Conſiliarius
Lælius Iudex M. C. V.
Fratri optimo,& Benemerentiſſ.
Pii,& grati animi M.P.P.
An. ſal.hum.CIƆIƆCIIII.

Iſa-

Iſabellæ
Guidi Antonii Feltri, Roborei
Ducis Vrbinatium
Filiæ,
Bernardini Sanſeuerini Biſinianens. Principis
Coniugi,
A ſecundis auſpicatæ,
Inter aſpera aulæ, orbitatis, valetudinis,
Perpetuò actæ,
Piè,& conſtanter immotæ
Virtutis eius luſtrator Sol.

Adrianam Caraſam,
Ducem Turris Maioris,
Fama,pietate,valetudine,conſociatione,auctoritate
Præſtantem.
IV.& LXXX.æt. an. mortalium ritù depoſitam;
Ne rere extinctam;
Vicere fatum
Imperturbata animi æquabilitas,
Mortalis inter Vitæ vicisſitudines
Conditione immortali expers vicisſitudinis,
Et,
Prodigioſa vteri felicitas
Tertiam,quartamq;
Multiplici ab germine
Enixa viuenti prolem,
Septuaginta ſuperſtitum elatam agmine Heroum,
Filiorum eius,ac Nepotum
Reuerente ſtipitem Fato.

Gen-

Gentilitio Cineri
Cellam hanc Hoſpitam,
Annoſam,fatiſcentem,
In maiores,in minores,
Pii,Humani,
Hector,& Io. Baptiſta Pompei de Alaneo
Fratres
Reſtaurarunt.
An.ſal.hum.CIϽIϽCXXIII.

Franciſco Antonio IC.
Prouinciæ Lucaniæ Auditori,
Secundis nuptijs
A Portia de Trano ex Tutinorum dominis,
Gemina prole aucto,
Et
Ioanni Vincentio
Filijs,
Præcoci fato,turbatoq; ordine præreptis;
Corneliæ item Conteſtabili
Matri ſuauiſſ.
Beneuento claris natalibus oriundæ,
Pomponius Saluus Reg.Conſil.
XXXX. prope annos publicis functus muneribus
In hac æde
Nomen,numenq; ſecutus B.Mariæ Montis Virginis,
Cuius in auguſtiſſ.ſupra Mercuriale Templo,
Vincentius pater Philoſophus æuo ſuo celeberr.
In Maior: ſepulcro quieſcit;
Tumulum
Genetrici moerens,filijs flens,
Sibi, ac Poſteris lætus adornauit
An. ſal.hum.CIϽIϽCXVI.

Vir-

Iulius Iaſolinus Hipponiata,
Valetudinis, vitæq; vindex,
Sagax, naiuus, felix
Hic ſitus eſt:
Abite morbi, ægritudineſq;
Seu ferro, ſeu tabe ingruitis
Chirone hoc, & Apolline procul:
Aenariæ adeſte ſcaturigines,
Ingeniumq; calamumq; veneramini,
Quibus.
Congruere Ioui ſeruire hominibus
Typhoeum adegit
Fontemq; rimatus præcordiorum,
Producere æuum ſine lue potuit, docuit,
Qui fato, non morbo correptus
Anno ſupra LXXX. quarto
Mortalitatem exuit,
Vitam adeptus
Præſidio ægrum, obſequio Superum, ſubſidio miſerum,
Inter immortales, mortaleſq;
Immortalem.

Bartholomæus, & Ioannes Michael Cota,
Ne hoſpitio functi vitæ præterlabentis
Suum deeſſet cineribus hoſpitium;
Tumulum hunc
Sibi, ſuiſq; poſteriſq; eorum P. P.
An ſal. hum. CIϽIϽCXIII.

Fran-

Franciſco Maſſæ Entimelienſi,
Ingenio,prudentiaq; rara concordia ſummis,
Iuris tollendis litibus Conſulto:
Principi Monæci,cuius in Regno hoc ditioni præfuit,
Perafando Riberæ,alijſq; Proregg.
Oraculi inſtar habito fidi,nec ambigui;
Præſtantiæq; eius non vulgari
Vulgare pro modo M.P.
Lanfrancus Maſſa,fratris filius,
An.ſal.hum.CIƆIƆCXXI.

Ioanni Lucæ Bonito
Claritudine Maiorum,claritudine ſua
Inclyto,
Qui;
Ne celebritati Familiæ
Oppidi Boniti,præter alia ditione,ac nomine,
Multis ante Carol.II.luſtris
Inſigni,
Monumentum deeſſet auguſtius,
Priſco gentilitio Sacello,
Mutata templi facie deleto,
Recens hoc ſuffecit;
Dominicus,Fabritius,& Iulius Cæſar
Parenti Benemerentiſſ.P.P.
An ſal.hum.CIƆIƆCXX.

Franciſco Gueuaræ
Prouinciæ Viterbij Prolegato
Summam Indolem
Cultu ingenij, atq; animi præteruecto;
Patefacto ad honores, bonis artibus, aditu;
Mod q; Imperij, ſpè ſata magni nominis,
Inter plauſum, ſtudiaq; bene ominantium,
In traiectu profluentis, nona trieteride extincto,
Io. Dux Bouinens: III. Magn. Regni Seneſcallus,
Fratri ſuauiſſ.
Inſepulti monum. doloris P.
An. ſal. hum. CIϽIϽCXXI.

Aliud.

Franciſco
Innici Gueuaræ Magn. Regni Seneſcalli Filio,
Viterbij Prolegato,
Præſidio naturæ, expolitione Ingenij,
Suffragio Virtutis,
Studio ordinis cuiuſcunque
Feliciter vecto,
Inſolentiæſtu profluentis
E complexu vitæ, honoris, beneuolentiæ
Nona trieteride auulſo,
Fratri ſuauiſſ.
Io. Dux Bouinens. III. Magn. Regni Seneſcallus,
Succiſæ M. felicitatis P.
An. ſal. hum. CIϽIϽCXXI.

Aliud

Aliud.

Flere ſi pudet,ſi piget,ne perlege.
Franciſcus Innici Gueuaræ Mag.Seneſcal.Filius
Magnis
Natus,excultus, euectus ad honores
Auſpicijs,
Viterbij Prolegatus
Merito virtutnm,
Romam,ſpe plaudente, accitus
Profluentem,traiectu inſolentius,prohibentem;
Ne degenere metu fœdaretur,
Victor ingreſſus;
Ah pietas
Fortitudine victus ſua,
Aquis exſuperantibus,
Inter Cœli terræq; lacrymas
Nona trieteride extinctus,
Vector felicitatis naufragus
Hac hæſit Vrnula;
Quam
Io.Dux Bouinens.III.magn.Reg.Seneſcal.
Fratri ſuauiſſ.
Mœrens P,
An.ſal.hum.CIↃIↃCXXI.

Conſtantia Pignatella Marchio Modunij
Iacet hic.
An iacuit, dum vixit?
Quæ vni viua Deo
Si minus vitam, ſenſum exuta vitæ
Sic vixit, quaſi non viueret,
Adeo genium defraudans, cæloq; animoq; indulgens,
Quaſi non tam corpus geſtaret, quam figuram corporis;
Præterq; fati leges
Non minus viuere extincta,
Quam non viuere, dum viueret, viſa.
Kal. Nouemb inter viuos elata, prælata mortuis
Non obijſse, reuixiſſe dicenda eſt.
An. æt. LXXVIII.
Sal. hum. CIↃIↃCXXXIII.

Matthæus Valenzuola
Toga, ſagoq;
Gentilitio par ſplendori,
Regibuſq; ad vtrumque tempus expeditus;
Cohortis Hiſpanæ Centurio
Inter arma fato obijt,
An. ſal. hum. CIↃIↃCXXXI.

Hora-

Horatius Longobardus
Inter nobiles,ac familiares à Philippo III. adſcitus
In Lucana, Picentinaq; Prouincijs
Annos XXVI. Regi à ſecretis,
Pietate in Deum, fide in homines,
Suffragatione in mortuos,
Ærarij funebris
Ab ſe inſtituti,auctique
Ad animas purgatorio igne eximendas,
Pauli V. diplomate. perpetuus Quæſtor:
Ne coniugij concordiam nullo interceptam caſu,
Inuidia intercipiat fati,
Sibi, & Antoniæ de Magiſtris Coniugi cariſſ.
Viuens P.
An. Sal. Hum. CIƆIƆCXVIII.

Camillo Brancæ ab Daunia Parthenopæo,
Claſſiarior:bello Allobrogico Centurioni,
Turmæ Equitum ære ſuo confectæ,refectæq; Præfecto,
Præſidiarij S.Germani Equitatus crebra expeditione
Ductori,
Captis Vercellis;
Vnde,ſuo maximè equite ſubſidia auertit,
Præclaro
Terra,mariq; Victori,
Lue peracerba annor. l.& XXX. abſumpto
Victoria Recca Mater.
Vrnam cinerum,& lacrymarum.
An.ſal.hum.CIƆIƆCXXI.

Io.

Io. Baptiſtæ
Alexandri Creſij I.C. Filio,
Prima ab Adoleſcentia,
Aulæ artibus, regenda domo,
Re familiari adminiſtranda,
Modo rerum prudenti, ſolerti, nauo,
Pompeio, Marcoq; Columnis probatiſſimo,
Legatione ad Marcum Antoniũ Columnam
Trinacriæ Proregem,
Vrbaniſq; Patriæ muneribus
Functo inſigniter
P. P.
An. Sal. Hum. CIƆIƆCXXXIII.

Decio Memmulo
Huius Baſilicæ Canonico,
Equiti auratæ militiæ,
Comiti Palatino,
Prothonotario Apoſtolico,
Pauli V. P. M. à ſecretis ad Principes
Solerti, ac fido
Natura, virtuſq; abundè,
Parciùs ſuffragata aula eſt.
Fratri ſuauiſſ.
Chriſtophorus Memmolus, Epiſc. Rubenſis,
Collacrumans P.
Obijt An. ſal. hum. CIƆIƆCXXXI.

Ari-

Arimanno
Equiti Leontiæ ex Dominis Campaniolæ
Pignono,
Magnum auum Iacobum Pignonum,
Auſpicijs Caroli Andegauenſ. Primi
Præfectum Equitum,
Eiecto Neapoli Manfredo,
Receptoq; in poteſtatem Regno
Inſignem,
Prætorem Vrbis Neapoli,
Caroli II. Magiſtrum Oſtiarium,
Brixiæ Prætorem,
Samnij, & Barij Proregem,
Præmio rerum geſtarum
Ortona,Carrecto,Collepagano,Malticello,Gallo,
Oppidis alijs donatum
Paribus belli,paciſq; artibus,
Paribus æquaturo victorijs, ſi par occaſio,
Alexander Pignonus Carrectus, Marchio Orioli,
Benedicti Arimanni fratris trinepos
Exeſum XIV. & CC. annis Monum. reparat
An. ſal. hum. CIƆIƆCXXXII.

Fa-

Familiæ Pepi
Florentiæ nunc,olim ſplendidæ
Neapolim Normandis Principibus aduenæ,
Tum hic I.C.II. & XX
Magiſtratibus curulibus, non curulibus,
Plurimis auctæ
Cineribus vrna ſatis vna fuerat,
Nominibus,non ſatis vnus lapis;
Vnum,qui è regione eſt,
Bartholomæus,& Hieronymus explent;
Vnum explet Lutius.
Ergo me,
Leonardo Patruo,
Sixto atauo,Antonii, Angeli germano,
Michaeli abauo,Bartholomæi patrueli.
Hortenſio proauo I. C.
Regis familiari,& Fiſci,Bonæ Pol.Reg Patrono,
Marci Antonii
Baronis Conturſi, multorumq; circa oppidorum Patrueli,
Lutio auo,Pauloq; parenti optimo,
I.Conſultis æui ſui inſignibus,
Sibiq; filiiſq; ſuis,ſeriſq; Nepotibus P.
Hortentius Pepi I.& ipſe Conſultus
An.ſal.hum.CIↃIↃXXXII.

Ca-

Carolus Gagliardus.
Dux Montis Calui
Exaggeratam opibus,inſignitam diademate,
Munitam ſobole domum,
Felicitate infeliciſſima
Secum adultam,ſecum extulit,
Extincta, extincto ſe, prole Virili:
Sed hoc felix,
Quod illatus in tumulum,
Ad Ioann. Fridericum, ad Iſabellam Sanctiam
Parentes,
Ad Lauram Pignatellam coniugem,
Ad Fratres ſex,filios quinque,
Ad Ferdinandum Zunicam,Sororis filium,
Equo inſignem,
Armis,ſi fata ſiuiſſent,ſtrenuum,
Minore Superſtitum ſolicitudine tangitnr.
Obijt an.æt.LX. IX. Cal.Aprilis
Sal. hum. CIↃIↃCXXIV.

Io.Paulus Galetus
Ortus Neapoli,Patre Ligure
Splendidis natalibus
Sepulcrum hoc
Sibi,ac Suis inchoat;
Caditq;
Optimum mortis neglectæ ſpolium;
Subit vices,expletq;
Franciſcus Antonius,
Oſſaq; Patris condit,pius,obſequenſ.
An.ſal.hum.CIↃIↃCXXII.

Iſabellæ
Andreæ Vincentij Scotti, Equit. S. Iacobi
Filiæ,
Forma pudica, honeſtate blanda, pietate iucunda
Præcellenti,
Coniugi Cariſſ.
Saluſtius Baſſus I. V. C.
Mon. amoris P.
An. ſal. hum. CIↃIↃCXXII.

Angelus Grillus
Luce natalium, conſanguineæ luce purpuræ,
Luce ſua, luce religionis
Auguſtus,
Cœnobitarum S. Benedicti IV. Præſes,
Veneratione magis Virtutum,
Quam poteſtate rexit faſcium,
Pacis vbique auctor
Prudens, æquus, eloquens,
Cultuq; & luce ingenij
Pindarum plectro imitatus Etruſco,
Seueriore muſa,
Sibi, ſuis, ſeclo decus intulit,
Aramq; meritus æuiternam,
Vrnam non dedignatur,
Quam
Domnus Carolus Nep.
In obſequium DD.
An. ſal. hum.

Iu-

Iulius Cæſar Bonaiutus,
Prudentia Iuris conſultiſſ.
Aequitatem
In puluere, arenaq; Forenſi,
Procul arte Pelaſga
Componendis, non ſerendis tutatus litibus,
Laudem ſcientiæ,
Laudem conſecutus innocentiæ in foro.
Quæſitum diu alijs,
Flexu ætatis, ſibi quoque quæſiuit
Animi otium,
Remiſſoq; ſubſellijs nuntio,
Vni ſibi vacauit, ac Deo:
Donec ad amuſſim virtutis expolitus,
Hoc conditus in Sacello eſt,
Quod,
Franciſco Antonio fratri, loco Patris habito,
Inchoauerat.
Obijt an. ſal. hum.

Camillus de Marra
Miles Togatus,
Æqui plus æquo vindex,
Fiſci Aduocatus,& Patrimonij Præſes,
Publici cuſtos ærarij,
Portitoribus grauis
In Apulia Promancipe,
Iucundus Scriptutarijs,
Ciuibus pro cuiuſq; ſtudio, anceps,
Sibi
Inuidiam felicitate,
Mortem quæſiuit ſedulitate,
Interq; lacrimas, interq; gaudia elatus
Fidem fecit Oraculo
Ne quid nimis.
Obiit an.ſal.hum.CIϽIϽCXXVII.

Aliud.

Camillo de Marra
Fiſci Aduocatc,Regij Patrim.Præſidi,
Pro re,& æquitate publica
Rei,vitæq; ſuæ incurioſo,
Publici ærarij Præfecto;
Vectigalium Regis,
Quæ ex portu ſequeſtro,
Quæ ex ſcriptura Promancipe
Magno Fiſci,magno pecuariorum,
Magno Famæ prouentu
Locatores Scripturarij.

Paulo

Paulo
Io. Franciſci Sangrij Filio,
Principi Sanſeueri II.
Duci Turris maioris,
Marchionis Caſtrinoui,
Status Imperii Conſiliario, ineunte iuuenta,
Equiti velleris aurei,
Ab ipſo Rege Hiſp. Philippo III.
Madrithii armis induto, & inaugurato,
Ora Regni maritima,
Vrbeq; hac munienda
Præfecto;
Refectis opibus, Hiſpano pro Imperio,
A Patre in bello attenuatis,
Regibus, Reip. Amicis,
Sano conſilio, certa fide
Conſtanter, feliciterq; nauo,
Ægro in corpore, robore animi prævalido,
Vultu quoque ſuauiter hilari,
Et
Ad vtramque fortunam immoto
Fatali die
Exemplo pietatis, & conſtantiæ incomparabili
Auo Benemerentiſſ.
Paulus Sangrius Princeps Sanſeueri IIII.
An. ſal. hum. CIↃI ↃCXXIX.
P

Agnoſcis,
Petrus ille Vecchionus
Sagacis ingenii,ſalutaris doctrinæ,
Suſceptæ ſobolis,locupletatæ domus,
Collati vulgo beneficii,
Artis quoq; felicitate poſt fata immortalis;
Sic marmore expreſſus, ſic redditus vitæ eſt;
Vt quod ſpirantem,loquentem non audis,
Te lapidem eſſe,non illum putes.
Obiit an.æt.LV. ſal.hum.CIↃIↃCXIX.
Monum.PP.
Franciſcus,Antonius,Carolus,& Thomas
Patri Benemerentiſſ.Filii obſequentiſſ.

Iulio Carafæ Patritio Neapol.
Virtute bellica ſingulariter inſigni,
Re Chriſtiana, Re Hiſpana
In Africa,Italia,Burgundia,Belgio,
Hiſpania,Melite,Tuneti,Naupacti
Duce Io.Auſtriaco
Præclarè geſta;
Vbi
Inter præliandum captus,
Et
Aliquandiu ſeruus,
Domita fortuna dominum ſubiugauit ſuum,
Nullibi ſtipendiarius,
Miles vbique ſpontaneus,
Eoq; Regg. Hiſp.gratior.
Inter præmia obſequii titulum Marchionis adepto,
Patri Benemerentiſſ.
Flaminius Marchio Baronelli hæres P.
Obijt æt. ſal. hum.

Fer-

Ferdinandus
Scipionis Rouiti Regentis à latere Filius,
Dux Caſtri Saraceni
Ingenio, & Indole
Quantæcunq; fortunæ capax;
Forenſi,& auguſtiore eruditione
Muſarum decus,ac togæ,
Laurea redimitus prudentiæ ciuilis
Ad huc puer,
Quæſitor criminum ex Ephebis,
A Secretis arcanorum Regni
In limine Iuuentæ,
Spe magnus,experimento maior,
Donec pertoeſus otij
Fortunam meditatus belli,
Fato obuius,
Lætus,pius,impauidus
Luce palam fecit,
Quantus futurus in hoſtem,
Imperterritus in mortem animus,
Obiit an. æt. ſal. hum.

Sci-

Scipio Rouitus
Æqui
Naturæ ductu, ductu virtutis tenax,
Clientum Patronus fidus, acer, nauus
Patrocinandi præſcripſit modum Iuris,
Delatus ad ſubſellia
S. Claræ Conſiliarius,
Reg. Cameræ Præſidens,
Regenſq; à latere
Ab omni expetitus foro,
Quemcunq; geſſit magiſtratum
Vni illi natus, fictuſq; viſus muneri;
Omniumq; in ſe vno formam expreſſit magiſtratuum,
Accuratus vbiq, vbiq; conſtans;
Cui
Pro immortalitate vitæ
Immortalitas ſuffecta nominis eſt;
Quam ipſe Sibi
Immortalibus rerum forenſium monumentis,
Et bonis artibus peperit.
Vita functus an. æt. LXXIX. ſal. hum. CIƆIƆCXXXVI.

Mu-

Aſpicis e regione
Franciſci Antonij Bonaiuti
Mutum ſignum,
Suorum è buſto cinerum ius tuetur,
Quod
L. perpetuos annos domi,
XL. publico in gymnaſio Neapoli tradidit:
Vir acri ingenio, celeri, ſolerti
Iuris prudentiæ diſcendæ, docendæ natus;
Velut Iuris conditorum ſeculo eruditus,
Noſtro regenitus,
Reminiſci viſus eſt, cum diſceret,
Iura condere, cùm doceret.
Obijt an. æt. L. ſal. hum. CIↃIↃXV.

Ne fama diſtent nominis,
Quos thalamus, quos tumulus iunxit coniuges
Lauræ Strotiæ,
Natalibus, famaq; nominis clariſſimæ,
Franciſci Bonauenturæ Coniugi,
Auiæ Maternæ
In Franciſcum Bonauenturam auunculum,
Vniuerſumq; ordinem Prædicatorum
Studio
Io. Vincentius I. V. C.
Marci Antonij Panelij filius P.

Didacus
Ab Comitibus Lunæ
Chiniones, Laurenzana,
Equeſtris ordinis Alcantaræ,
Status Regni Neapoli Conſiliarius,
Præfectus arcis Baianæ,
XL. annorum militia,
In Belgio, Gallia, Oceano, Italia.
Præcipuis functus egregiè muneribus,
Prouinciar. diu Præſes
Exiguus iacet puluis;
Donec rediuiuus
Se maior, & auguſtior cœlum petat,
Obijt an. ſal. hum.

Dianæ Cabaniliæ
Comitiſſæ Montellæ,
Vetuſtiſſimæ domus poſtremæ ſoboli,
Ab Garſia, Ioanne, Didaco,
Regum Alfonſi, & Ferdinandi munificentia,
Troiæ, & Montellæ Comitibus,
Balioli, Vulturaræ, aliorumq; oppidorum Dominis,
Parenti Benemerentiſſ.
Aloyſius Gattula,
Matris beneficio,
Collateralis conſilij auctoritate
Montellæ Comes XI.
An. ſal. hum.

Io.

Io.Petro de Adeſſis Lunello
Cauſarum Patrocinio,dexteritate agendi,
Summorum Principum neceſſitudinibus
Intimò:
Huiuſce ſacelli Fundatori pijsſimo,
Legatis ad conſtruendum aur.cc.ſupra tres CIↃ.
Attributo ad perpetuum cenſum olіueto
Proſper I. C. & Tarquinius Flamen regius P. P.
An. ſal. hum.

Veſpeſiano de Adesſis
Splendidis natalibus,ſplendidiorib.virtutibus
Beneuolentiam omnium,
Adoptionem Io.Petri Lunelli
Commerito,& adepto,
Et
Ob eximiam in eius negotijs fidelitatem,
Naua XX.ann.opera
Ex teſtamento hæredi,
Extemploq; (o vita fallax)
Ex humanis Romæ rapto
Proſper I. C. & Tarquinius Flamen Regius PP.
An. ſal. hum.

Vt vnà conquieſcant vnius ſanguinis cineres,
Hanc,tibi,
Horati de Adesſis Genitor,
Hanc,vobis,
Io.Camille frater.Io.Angele Proſper,
Et
Veſpeſiane patrui I. V. C.
Hanc,tibi,
Olympia Noſi,Mater præſtantiſſ.
Hanc nobis,
Cognatiſq; Affinibuſq; Poſteriſq; noſtris
Humanæ conditionis memores
Sacello in hoc
Sedem quietis Poſuimus. An.

Horatio Mirto, Epiſ.Rubenſi
Rei Pontificiæ
Non pro ſui conditione temporis,
Sed pro ſui dignitate muneris
Tutatori,ac Vindici
Flamines Canonici,
Quos vetere exemplo hæredes ex aſſe ſcripſit
Præter piaculares hoſtias,
Exiguum hoc.G. A. M. P.P.An.

Ma-

Magnis auis, magnis patruis
Belli ducibus,
Qui ab Germania parto domi nomine
Ante ann. IↃLX.
Cum exercitu Cæſariano profecti in Italiam,
Summæ rei,
Pro Henrico IV:
Pro Cæſare,
Pro Venetis,
Pro Genuenſibus;
Pro Piſis.
Pro Rege Francorum
Subinde præfuerunt:
Pietate Auguſtis
Petro fundatori Eremitar. S. Hieronymi,
Claræ deuotar. Deo Virginum, Parenti:
Imperio Inclytis
Piſarum, Lucæ, Plumbini,
Andreæ,
Eius deinceps filiis, Franciſco, Lotto. Petro;
Poſtremoq; Dynaſtæ Io. ex Gherardo
Tritauo ſuo,
Tum Gherardo atauo Valle balnei Domino;
Auctori generis Neapoli,
Proauoq; Io. Abauoq; Franciſco, Auoq; Baltaſſari;
Franciſcoq; Patri,
Vindicem obliuionis æram
Io. Andreas Gambacurta Dux Limatulæ
An. ſal. hum. CIↃIↃCXXX.

Aloyſius

Aloyſius
Stilianens:Princeps II:
Dux Sablonetæ,
Fortunæ ſuæ nec Seruus,nec Dominus,
Faſtigium eius nec quæſiuit,nec ſpreuit:
Animiq; tranquillitatem
Ablegata cupidine,curis exſolutus,
Eruditoq; pioq; in otio,
Conſuetudine aſſecutus Sapientum,
Vitæ moleſtiis immunis,
Mortis quoq; moleſtiis obiit immunis.
An. æt. LX. ſal. hum.CIϽIϽCXX.

Franciſca Bartirotta.Piccolominea,Aragonea
Marchio Braciliani
Deo deſponſa,& Viro;
Vni viſa Deo vacare ſemper,
Officio matris familias defuit numquam,
Auctoritate,beneuolentiaq; in Suos
Commerita:
Vt eorum in ſe venerationem Amor,
Amorem ſuperat veneratio;
Odio ſui, pietate in Deum, benignitate in omnes
Incomparabilis.
Obiit an.æt.ſal,hum.

Ma-

Mariæ
Camilli de Medicis
Eloquenti Iuris prudentia inclyti
Filiæ,
Quæ ſupra fœminam imago Patris
Præter ſolitum pia
Diuturnam ſterilitatem inſigni prole compenſauit,
Seſeque auumq; expreſſit in filiis;
Fœcundo ſimul vtero, ſimul animo Mater
Coniugi Cariſſ.
Cum qua,concordiſſimè vixit an. VIII. & XX.
Fabius Capicius Galeota,
Niſi cum dicundo,patrocinando aſſiduus Iuri
Regius Conſiliarius
Fiſci iterato patronus:& Reg. Cam. Præſes. P.

Io. Baptiſta Vrſus
Veteris eloquentiæ caſu
Laribus extorris,
Inchoandis, quam abſoluendis rebus felicior
Amicos habuit ad benemerendum plurimos
De ſe benemeritos vnum,aut alterum;
Multorum elogio inclytus,ſuo inglorius
Non ſine nomine vixit,ſine nomine obiit
An. ætatis. LXX. Kal. martis.
Supra aliorum votum,infra ſuum.

Io.

Io. Montaluus Ramires
I. V. C.
In collegio maiori Ouetenſium, Salmaticæ,
Mox Hiſpali Auditor,
Et
Sacræ Inquiſitionis Conſultor,
Breuiq; Pintiæ, Cancellariæ Conſiliarius,
Proximus faſtigio,
Virtute vectus præcoci occubuit ocyor
Raptus Areuali an. æt. IX. & XXX.
Sublata ſuis ad honores face,
Quam
Ne eodem intercidat fato,
Bernardinus Regens,
Marchio S. Iuliani, Eques S. Iacobi
Magni Camerarii locumtenens,
Regius à latere Conſiliarius
Patri Benemerentiſſ. P.
An. ſal. hum. CIƆIƆCXXIV.

Franciſco
Io. Ramiri Montalui Filio
In Collegiô Hiſp. Bononię
I. V. Conſultô,
Inſularum fortunatarum
Fortunatiore famæ, quam vitæ calculo
Auditori.
An. ęt. II. & XXX. abrepto
Fratri Concordiſſ.
Bernardinus Regens &c.
P.

An-

Andreæ Ramiro Montaluo
Magna vitam ingreſſo indole,
Nondum quarta trieteride plena,
Virtute rapto pubeſcente,
Spe adulta,
Fratri ſuauiſſ.
Didacus
Eques S. Iacobi,
Bernardini Marchionis S. Iuliani,
Equeſtris ordinis S. Iacobi,
Magni Camerarij locumtenentis,
Et
Regentis à latere
Filius P.
An. ſal. hum. CIϽIϽCXXXIV.

Andreæ Ramires Montaluo,
Indole heu quanta!
Magnum patri filium, mihi germanum,
Sæculo ſuo virum
(Sineret modo Parca)
Spondenti,
Animulæ ſanctæ additæ cælo,
An. ſal. hum. CIϽIϽCXIII. æt. IV.

Tu mihi,
An ego tibi ferales ſubieci tedas, Fili?
Qui,
Ne luſtralem candorem auctus æuo infuſcares,
Nondum ſecunda trieteride plena
Magnam Patriæ, magnam Parentibus
Spem indolis præcidiſti;
Meq; tibi,
Non te mihi Parca non parca rapuit,
Qui ſi minus tecum frigido marmore condor,
Extinctum ſuperſtes viuo pectore foueo,
Feliciſſimæ ſobolis Pater infelix
Suſceptum an. elatum an.
Conditum an.

Bernardinus Ramires Montaluus
Magni Camerarij locumtenens,
Regenſq; à latere,
Eques S. Iacobi,
Marchio S. Iuliani
Equeſtris ordinis Nili
Æquo ſemper animo,& compoſito
Maieſtatem muneris
Imperturbabili præſetulit maieſtate oris, & mentis,
Altaq; animi magnitudine
In Fiſcum,& pro Fiſco æquiſſimus,
Deo obſecutus,
Regum quoq; obſecutus voluntati eſt
Æqua iubentium,
Vota commeritus omnium
Bene viuenti,
Bene è vita migranti,
Bene filio ſuperſtiti
Vſq; & vſq; precantium.
Obijt an. æt. ſal. hum.

Pompeio
M. de Fulgure filio,
Iure conſulto,
Acri ad intelligendum,
Æquo ad æſtimandum ingenio,
Præter votum,faſq; ſibi prærepto,
Iulia de Petino coniux,
Ad compenſandam iniuriam fati
Hunc ambobus tumulum P.
Vt vrna cineres, coniungat Cœlum animos.
Obiit an. Sal. hum.

Octauio Capycio Latro
Viro Clariſſ.
Religione in Deum,beneuolentia in homines
Immortali;
Ad ſui moderationem
Æquo animo,& conſtanti,
Infortunijs alijs, alijs ſuper alijs
Ad extremum vſque ſpiritum
Exercito,nec victo.
Quod hoc in templo humari,
In Eoq;
Sacrum pro ſe, pro coniuge ſacrum
Quotidie fieri mandauerit,
Hector Capycius Latro Reg.Conſil.
Adminiſtrator hæreditatis,
Et
Pater Octauiani
Ex illius teſtamento hæredis
Sacellum hoc
Non rependendo,ſed agnoſcendo beneficio
Erexit,& exornauit.
An.Sal. hum. CIƆIƆCXXX.
Obijt an. æt. LXXII. ſal. hum. CIƆIƆCXXIIX.

Cla-

Clarici Sanſeuerinæ
Natalium,ac virtutum nobilitate
Præclariſſimæ,
Octauij Capycij Latro coniugi,
Obſequio,beneuolentiaq; in Virum ſingulari,
XXV. ante annos vita functæ,
Poſt diuturnam thalami orbitatem,
Tumuli quoque iugales tedas commeritæ,
Quod eius cineres ſuis copulari cineribus
Cauerit Octauianus,
Hector Capycius Latro Pater Octauiani hæredis,
Et aditæ hæreditatis Adminiſtrator P.
An. ſal. hum.CIƆIƆCXXVIII.

Fabritio Pontecoruo
Sapienti,intelligenti,
Quod abalienatis Maiorum opibus,
R. R. Andagauens:& Aragonens:
Munere olim acceptis,
Viciſſitudinem rerum probè intellexerit,
Opum cum Cœlo commutationem
Sapienter fecerit,
Cœnobitas hos Samnio huc adduxerit,
De ſuo diu aluerit,
Prioris templi rudimenta poſuerit,
Prœſto vbique fuerit,
Lapidem hunc, teſtem bonæ frugis,
Patri Benemerentiſſ.
Horatius,& Iulius Cæſar P.P.
An.ſal.hum. CIƆIƆCXXV.

Domi-

Dominus Fontana Comenſis
Magna molitus maiora potuit;
Nempè par virtuti defuit occaſio,
Iacentem olim Obeliſcum,
Deſperatum opus,& arduum
Sixto V. Pontifice
Per iocum, ac ludum
In Vaticano erexit,ac ſtatuit:
Comes extemplo Palatinus,
Eques auratus,
Summus Romæ,
Summus Neapoli,
Philippi II. Philip. III.RR.
Architectus,
Seſeq; æuumq; inſigniuit ſuum,
Teq; Lapis,inſigniuit,
Quem
Sebaſtianus,Conſtantius,Philippus
Virtutis,
Iulius Cæſar muneris quoque
Æquis paſſibus hæres
Patri Benemerentiſſ. PP.
An. ſal. hum.

Io.

Io. Baptiſta Troianus
Neapoli Cauſidicus,
Fraudis præter morem iners,
Verſutias fori lege, non arte vicit.
Cauſarum
Ante domi Iudex, quam in Iudicio patronus,
Poſitaq; in meta æquitatis
Cunctarum meta functionum
Exceſſurus vita
Magdalunum reuertitur;
Patrijs laribus depoſitum vt redderet,
Reddiditq;
An. æt. ſal. hum.

Melchiori Peres à Viuero
Regij Patrimonii Præſidi,
Sollerti, integerrimo,
Eiuſq; bis humato geminæ vitæ cineri,
Quem
Ad Diuæ Tereſæ
Ferculo delatum doloris,
Laribus ſuis propius
Ferculo tranſtulit amoris
Tedæ memor nuptialis,
Tedæ cuſtos feralis,
Atq, hoc condidit tumulo
Anna Peres Bragamontia.
An. ſal hum. CIƆIƆCXXX.

Caro-

Carolo de Vrſo
Peregrinis ab Maioribus,
Qui
Stantis Vrſi liliis coronati ſtemmate,
Trans Alpes parto nomine
Fortunam belli in Italiam
Equeſtri ordine ſunt ſecuti,
Caietæ, Salerni, Olibani, Eboli inter Patritios
Iure Conſulto,
Laurea diu gentilitia,
Iure dicundo, pluribus in Prouinciis Conſiliario,
Tribunoq; ærarii
Exonerandis ære alieno Prouinciis,
Et Beatrici Nicaſtræ,
Natalibus, laudibuſq; matronalibus
Præclaræ,
Parentibus Benemerentiſſ.
Tibiq; Fabriti Patrue,
Inſignium Hiſpan. Magnatum Patrono
Ingenio feliciore, quam fato,
Ac tibi Fabriti fratri Iure conſulto
Spe heu quanta! ſinerent modo Parcæ,
Nec te tacitum ſinit, Caroluci fili ſuauiſſ. ſagaciſſ.
Vita functis,
Sibiq; Antonioq; fratri,
Filiiſq; amborum, poſteriſq; eorum,
Donec bonus benè iuuerit genius,
Sacellum hoc, auctore emptum Prætore,
Quod, & lapide hoc, & tabulis cauetur Horatii de Magiſtris,
Didacus de Vrſo dominus Græciniani III. P.
An. ſal. hum. CIϽIϽCXXX.

Se-

Sepulcrum hoc, vetuſtate ſplendidum,
In quo iacuere
Ab anno CCCC. ſupra CIↃ.
Iacobus,& Bernardus Sanfelices,
Eiuſdemq; familiæ ante,& poſt hos plurimi,
Ab oppido Sanctofelice
A Sanfelicibus condito,
Certe ab iis
Omni antiquiùs memoria
Ad an. vſque CIↃIↃC.
Continenti dominatu retento,
Nuper huc aſportari,
Gentilitioq; in ſacello collocari
Io.Franciſcus Sanfelicius Reg.Conſil.curauit
An. ſal. hum. CIↃIↃCII.

Franciſcus Brancia
Marchio Padulens: Irpinorum
Eques S. Iacobi
In complexu publicæ,domeſticæq; beneuolentiæ;
Decima trieteride extinctus,
Tergeminoq; elatus funere
Suo,Patris,Coniugis
Amiſſo vitæ in vita conſorte
Hac conditur vrnula;
Quam
Hippolita Carbona
Marchion. Padulens:poſtrema hæres
Viro vnanimi,
Et
Ferdinandus Regens à latere
Filio vnigenæ PP.
An. ſal. hum. CIↃIↃCXXIV.

Iuſtinianam Mariam Pignatellam
Acheruntiæ Ducem, Galatanæ Marchionem
Formam gloriæ matronalis,
Formam gloriæ coniugalis,
Naturæ præſidiis, Virtutis inſtructam opibus,
Suauiter conſtantem, vbi opus imperio;
Conſtanter lenem, vbi opus obſequio,
Moderatam vſque, & vſque piam,
An. æt. VIII. & XX.
Rerum mortalium tœdio,
Cupidine languentem immortalium
Æternitati pepererunt
Species. Virtus, Pudor:
Poſteritati
Lapis hic ſiſtit,
Sepulto inclytus cinere,
Quem
Galeatius Franciſcus Pinellus
Coniugi iucundiſſ.
Semianimis P.
An. ſal. hum. CIↃIↃXXXI.

Ab

Angelæ
Ab Comitib. Apicis Luceriæ, Manupelli,
Peleariæ,
Effœti ſtipitis poſtremæ ſoboli;
Immortalibus Maiorum,
Vualterij Frid. II. Philippi Gulielmo Rege
Magnor. Camerarior:
Aliorum in vtraque Sicilia
Militaribus, Vrbaniſq; faſcibus
Sacriſq; Infulis
Inſignium,
Matronalibuſq; Auiarum,
Thomaſiæ cum primis deſponſæ nuper Vrſinis,
Expreſſis in ſe vnà laudibus,
Longumq; ac decorum gentis agmen
Præclaræ claudenti,

Roberta Carafa
Dux Magdalunens.
Pari natalibus inſtitutione
Viro
Oblita paruit imperandi:
Orbata, oblita imperauit parendi;
Ferendo iugo concors,
Gerendo ſceptro fortis,
Semperq; innixa Deo
Exemplo, & auctoritate domum,
Imperio, & æquitate rexit populos:
Vt nec Mulierem in ſtudio pietatis,
Nec Virum, in ſolitudine requiras orbitatis.
Obijt an. æt. ſal. hum.

Hic habes, Viator, ne quære in fabulis
Virum
Armis, conſilio, pietate
Formidatum hoſtibus, reueritum ſuis.
Nicolaus
Aloyſij de Marra filius,
E ſede Capuana Parthenopæus,
Eques Hieroſolymitanus Octennis,
Iam tùm pro Religione arma poſcens
Sacræ teſſeram militiæ
Honeſtam ſibi,
Fauſtam ſuis,
Infauſtam geſſit hoſtibus;
Vtroque inſignis nomine
Ducis inuicti, Equitis pijſſimi
Nondum Ephebus;
Maritimis expeditionibus
Sæuitiam pelagi, audaciam fregit Thracum;
Actutumq;
Aduerſus fidei transfugas
In Gallia, & Belgio
Militiæ decus, conſtantiam expreſſit animi
Quattuor conſpicuus aduerſo corpore vulneribus
Tribunus Militum:
Oram Regni ſeruauit incolumem
Præfectus Claſſis Melitenſis,
Demenſis, captis pyratarum nauibus:
Otium publico, modeſtiam ſibi,
Prædam quæſiuit alijs;
Legationibus
Ad Clem. VIII. Paulum V. Greg. XV.
Cæſarem, Heluetios
Aduerſus auctoritatem, gratiamq; potentium
Rem, dignitatemq;
Obtinuit nauiter, & feliciter:

Quæ-

Quæſtor Panormi
Nomen ſacri ordinis CCCC.LXX.mill.aureor.
Relatum in tabulis Regij Fiſci
Æſtimata rurſus lite expunxit:
Commendator, Prior, maris Arbiter
Conſuetos emenſus honores,
Nouo, proximoq; apici magiſtratu
Rem omnem publicam
Vignacurtio Magno Magiſtro mandante
Promagiſter, præfectuſq; geſſit Prætorio;
Magnumq; adeo Magiſtri munus
Quattuor nationum ſuffragio in ſinum confluens
Maiore animo ad Mendeſium detulit,
Præeunte meritum modeſtia, ſubſequente gloria
Sed titulum detulit, rem nequiuit;
Vicariamq; quoad vixit, huic quoque opem tulit.
Vitaq; functus Promagiſter
Merito Virtutis, ac muneris
Summor. Magiſtror. conditus tumulo eſt
An.æt.LXXII.X.Kal.Ianuarij Sal.hum.CIƆIƆCXXXI.
Quem annum, quem menſem XVII.Kal.Ianuarij
Conflagratione ſui, vaſtitate Campaniæ,
Conſternatione Europæ
Inſigniuit Veſeuus
Flammigera præuertens, fumiſera adhuc ſubſequens
Face funus.

Lælius Brancacius
Montis Siluani Marchio,
Italici decus ſanguinis,
Status Imperii Conſiliarius Madriti,
Parthenopæus;
Quod verſatus in Caſtris ab ortu ad obitum,
Cruce munitus Melitenſi
Hoſtem laceſſiuit Religionis puer,
Ordines duxit ab imo ad ſummum,
Dux nauus, Imperator inuictus
Pugnas pugnauit ingentes, & plurimas,
Trophœa reuexit crebra, & preclara,
Rem Liguſticam tutatus, & Hiſpanam
Fide Romana, manu valida, conſilio frugi,
Marte ſecundo.
Ne rere ferum, ne iracundum;
Mentem geſſit placidam, & pugnacem,
Bellatorem animum, & compoſitum,
Sidere genitum Martiali, Diali ſidere,
Belli fulmen in acie, Auctor pacis in curia;
Fatum, qui ſtans præſtolatus in Caſtris,
Cœlo accerſitam, incruentam animam
Cœlo reddidit incruentus,
Obiit ann.

Nec totus viuo,nec totus interii,
Semeſum gero cor, ſemiauulſum animum,
Semiſſem abſtrexere mei Fratreſq; Sororeſq;
Ad vnum omnes;
Vidi oculis ipſe meis,
Franciſcum Antonium, & Iulium Cæſarem,
Hieronymam,Iuliam
Ingenti oppetere letho,& lumina clauſi gemens:
Ex illo
Semiſepultam traho animam,ſemiuiuoſq; dies,
Reddite me meis,meq; mihi reddite;
Ædicula in hac,
Quam ſuis inchoauit auſpiciis Iulius Cæſar,
Meis ipſe abſolui,
Moneatq; Lapis,
Io. Baptiſta Bonaiutus
Suorum fato triſtis,ſuo lætus
Orbitatis damna compenſat
Conſepultus Germanis.
An. æt.   ſal. hum.

In Capitalem hominem perpetuis damnatum vinculis:poſt malis artibus exſolutum,peioribus inſoleſcentem,& reciſi damnatum pœna Capitis.

N. N.
Iacet hic,
Qui
Libertatem turpi vita conſecutus
Vitam turpi libertate amiſit.

Per-

Perſio Vitali,cauſarum patrono,
Inſigni in Virginem Carmelitanam pietate,
Cœnobii huius Fundatori,
Ædis vel poſt fata cultori,
Lecto hic ſibi,ſuiſq; ſepulcro;
Vbi
Franciſcum filium I. V. C. ante condiderat.
Didacus Vitalis
Parenti,Germano,Poſteris P.
Soluto,nec exſoluto ſtipendio pietatis,& lacrymarum
An. ſal. hum. CIƆIƆCXXI.

Fabius Griſonus patricius Neap.
Bellicæ gloriæ,
In Luſitania,Inſuliſq; Heſperidum
Meruit adoleſcens;
Mox ſacræ militiæ ordines duxit,
Romæ vtriuſque ſignaturæ Referendarius,
Regius Madrithii flamen,
Xenodochii S. Iacobi
Ab ſe ibidem valetudini Italorum erecti
Decennium Præfectus,
Barii Philippi III. benignitate S. Nicolai Prior
Iuriſdictione tuenda,patrimonio extricando
Nauus;
Haud vixit iners,haud iacet inglorius.
Obiit an. æt. VIII, & L.
Æuumq; ipſe ſibi peperit,
Vrnam
Franciſcus Griſonus fratris filius P.
An. ſal. hum. CIƆIƆCXXI.

Se-

Seriano
Marini Caroaczoli Capucini
IV. filio
Celentiæ, Carunculi, Turris S. Io. Bollicæ
Teſtamento Patris, Priuilegio Regis
Damnato naturæ ordine
Ex aſſe hæredi,
Fundatori domus.
Et Io. Baptiſtæ Duci Celentiæ,
Auiti nitoris reparatori
Extructis hic templo, Cœnobioq; auguſtiſſ.
Gloriam Auorum,
Plauſum aſſecuto Poſterum,
Iulius Cæſar Caroaczolus
Poſt continentem Auorum dominatum
Ann. C. LXXI.
II. Dux Celentiæ
Tritauo, ac Parenti BB. P.
An. ſal. hum. CIϽIϽCXXI.

Aloyſio Lanellotti Filio Seuerino,
Vt fratribus prægenito,
Ita, & fati acerbitate, & ſinu magnæ ſpei
Breui prærepto;
Eiuſq; Liberis
Io. Andreæ, & Hieronymo
Militari Suorum, ſua etiam luce clariſſimis
Io. Baptiſta Andrea genitus,
Primigenùm meta domus;
Auo, Patri, Patruo B. M. P.
An. ſal. hum. CIϽIϽCXXIII.

Iulia Boncompagno
Greg. XIII. ter maximi Neptis
Io. Gueuaræ Magni Seneſcalli,
Ducis Bobinenſ. II.
Fœcunda coniux, & concors:
Illa, illa,
In qua ſpecies, honeſtaſq; & pietas,
Iunctis conſedere faſcibus
Dum octimeſtris parturit, nec enititur,
Eniſa in cœlum, enixaq; ſemet eſt
Æternitati
Pridie Nonas Aprilis CIϽIϽCXXII.

Leſa Aldobrandina
Clementis VIII. Proneptis,
Quam
Raro fœdere comis nobilitas, ingenium conſtans,
Maieſtas verecunda
Fecere incomparabilem.
Tergemino filiorum
Ter elata, nec dum defuncta funere,
Anginæ mihi abrepta morbo
Hæret animo ſemiuiuo.
Marinus Caroaczolus Abellin. Princeps III.
P.
An. ſal. hum. CIϽIϽCXIX.

Domitius
Marini Caroaczoli Abellinatum Principis
Filius,
Marchio Bellæ,
Martis alumnus acer,impiger,
Triumpho dignior,quam cupidior,
Tribunus militum adoleſcens,
Infenſa in Belgas ſigna mouit,
Certuſq; aut vincere,aut mori,
Præreptum vi locum vincens obtinet;
Quamuis acie preſſus confectiſſima,
Quamuis primo congreſſu
Tranſuerberatus globulo brachium,
Donec
Septendecim acceptis aduerſo corpore
Vulneribus,
Strage ſuper hoſtium
Ingens iacuit,
Ah rapite ex hoc cinere ignem Poſteri,
Quem ſibi,quem ſuis
Recolendum P,
Marinus Caroaczolus Abell. Princ. III.
An. ſal. hum. CIϽIϽCXXV.

No-

Nominibus, cineribuſq; Maiorum
Fato,non æuo functis
Animante Fama
Andreæ Proauo
Alphonſi Primi auſpicijs
Interiore ex Hiſpania
Generis Neapolim traduci
Probata Regi fide,nauata opera
Celeberrimo;
Galſarano Auo
Inter vlnas ſuſcepto, iactoq; Bellonæ
L. annos ſine vacatione;
Regis Catholici,
Et
Caroli V. Cæſaris Imperio
Peditum Centurioni,
Summoq; Vaſtatorum Præfecto;
Adverſus Belgas,Afros,Turcas,
Aduerſus hoſtes Cæſaris,hoſteſq; Religionis,
Quæſito nomine
Teſte Papia:
Vbi
Ingentis auctor, molitorq; conſilij
Aggreſſus munitum muro, vallo,caſtris hoſtem;
Nec duorum ante oculos cæde filiorum,
Nec ſuis fractus vulneribus
Vallum ſuperat,
Murum diruit,
In Prætorium inuadit,
Regem Galliæ Franciſcum capit,
Cæſari tradit:
Nec ante merere deſijt, quam viuere,
Fato,militiaq; defunctus
In Gallia Ciſpadana ſub ſignis:
Liuio Parenti

De

De ſe,familia,de re Hiſpana benemer.
XL. annos
Caroli V. Philippi II. ſtipendia merito;
Crebris belli expeditionibus,& arduis
Vbique ſtreuuo,
Ad Echinadas
Ioannis Auſtriaci ductu,
Supra modum
Æquata foris,
Aucta domi gloria Maiorum,
Lectis pro ſe,pro filijs,
E ſedilibus Nobilium
Connubiis
Aſprenus Scales
Tantorum ſtipitum Suboles impar
P.
An.ſal. hum. CIↃIↃCXXXIV.

Fabio Riccardo
Sac. Conſ. Decano
Poſt. exactos IX. & XXXX.
In magiſtratu Curuli annos
Abrepto:
Cum Philip. Hiſp. Rex III.
Supremum ad ordinem Reg. à latere
Accerſiſſet
Magna,ſed improſpera,
Ipſaq; ſibi blandiente,ipſa ſibi aduerſante
Fortuna;
Franciſcus Maria
Patris,Maiorumq; meritis,
Eiuſdemq; largitione Regis,
Marchio Ripæ
An. ſal. hum..

Iu-

Iulio Cæſari Rogerio Nucerino,
Prothon. Apoſtol.
Multis, ac præclaris in Vrbibus
Vicario Gen. an. XXX.
Aduentantibus
Ob meritum virtutis, doctrinæ, ac prudentiæ
Infulis
Aduerſata Mors conſultò, inconſulta eſt;
Moremq; geſſit animo Cœlum affectanti,
Aduerſata mihi quoq; eſt,
Vitam vita compenſaturo, ſi fuiſſet,
Amico fidiſſ. concordiſſ.
Exiguum lapidem, longæui teſtem amoris
Clemens Romanus Pathenopæus.
Obiit an. æt. LIV. ſal. hum. CIϽIϽCXXXIII.

Ioannes Baptiſtà Vrſus
Ingentes exantlauit labores.
Multo dolore, nulla gratia;
Sunt, quos memori tradidit æuo
Immemor ſui.
Funeribuſq; illacrimatus aliorum,
Indefletus obiit,
Annis, non animo grauis.
Quiſquis noſti,
Ne ſparge lacrimis,
Sparge rore pio, prece reuela piaculari.

Michaeli Ponario
In arduis Rege, Hiſpan. negotijs
XXX. annos
Cum laude verſato fidei integerrimæ,
Induſtriæ ſagaciſſ.
Patri Benemerentiſſ.
Sibi exemplo, ac Poſteris
Marcus Ponarius, filius obſequentiſſ.
An. ſal. hum, CIƆIƆCXXXIII.

Franciſco Ferdinando de Capua
Baucio
Duci Thermulanor. V.
In limine coniugii, viridi in iuuenta
Succiſo;
Cumq; eo præclara Ducum ſobole,
Clarix de Capua
Inter tedam nuptialem, facemq; feralem
Anceps,
Non tam coniugii Pronubo, quam lethi,
Vrnam doloris, & amoris P.
An. ſal. hum,

Lutius de Franchis
Qui vir,quantus fuerit
Leo nouit X
Qui illum maximis de rebus legauit
Ad Carolum V. Cæſarem;
Cæſar ipſe nouit,
Decorauitq; regij trabea Conſiliarij,
Publicoq; munere interpretis Feudorum:
Nouit ſui fratrem aui,
Magnumq: Patruum
Noſcendum hoc tumulo tradidit
Vincentius de Franchis S. C. Præſidens
Et
Regens à Latere.

Iacobus de Franchis
Reg. Conſil. Marchio Octauiani,
Acri ingenio,alta mente patrem referens;
Nec minus Iuſtitiæ,quam Iuris conſultus,
Præcidendis, non producendis natus litibus.
In ancipiti ſenſu legum
Controuerſias æquitate tollebat.
Fratri ſuauiſſ.
Thomas de Franchis Reg. Conſil.
Frater, & collega P.
An. ſal. hum CIϽIϽCXXX.

Laurentius de Franchis
Vir grauis,& conſtans,
Vultu ad ſeueritatem inflexo,
Ad commiſerationem animo,
Criminum pro Fiſco vindex;
Inter ſeuerum,remiſſumq; medius;
Et
Regiæ Cameræ Præſidens
Regias rationes
Non maieſtatis obſequio,æquitatis lance penſitauit;
Explorataq; Omnibus integritate;
Rarum in vtroque Magiſtratu
Æquè Regibus,
Æque ſummis,æquè popularibus carus
Magnum vtriſque ſui deſiderium reliquit
Vita functus an. æt. ſal. hum.
Vrnam Fratri concordiſſ. P.
Thomas de Franchis Reg. Conſil.

Lucæ
Vincentij de Franchis filio,
Regio Madrithii Flamini,
Epiſc. Vxentino
Sibi,ſuis, Religioni ornamento;
Ab oculis,complexuq; gregis abrepto
Rudi viduata coniugio,
Voti rea,nec damnata Eccleſia Vxentina
Lacrimis effert inenarrabilibus,
Nec inanem lacrimis Vrnam,
Fratri Cariſſ. P.
Thomas de Franchis Reg. Conſil.
An. ſal. hum,

Andreas
Vincentii de Franchis filius,
Magna ab ſtirpe magna ſoboies,
Archiepiſ. Tranenſis Philip. II.
Materanus Philip. III. Regg.
De Cœlo, de Terra,
Reperto Trani corpore S. Nicolai Peregrini,
Immortaliter meritus,
Spe ingens,
Ni vitam, ſpemq; matureſcentem
Ah nimis dura, & immatura fata ſuccidiſſent,
An. æt. XXXIX. ſal. hum.
Hac vrna conditur,
Quam
Fratri ſuauiſſ.
Iacobus Reg. Conſil. Marchio Octauiani P.

Hieronymus
Epiſcop. Neridenſis,
Archiep. Capuanus,
Vincentii de Franchis Filius
Honores;
Quò fugit inpenſius,
Hòc habuit obuios cumulatiùs:
Gemina vno tempore oblata tyara
Puteolana,
A Potentiſſ. Rege Hiſpan. Philip. III.
Neridenſe
A ſanctiſſ. Pontific. Rom. Paulo V.
Remiſſaq; illa;
Hac, quam reiicere nequiuit, admiſſa;
Vita inſigniter innocua, nec auara, & vigili,
Paſcendo, tutando intentus gregi,
Nec opinans, nec cupiens,
Ad archiepiſcop. euehitur Capuanum,
Menſuramq; tanti muneris abundè expleuit;
Menſuram ætatis parcè.
Vita functus an. ſal. hum. CIƆIƆCXXXV.
Auguſtiore dignus Vrna,
Sed hanc
Suæ, fratriſq; memor modeſtiæ
P.
Thomas de Franchis Reg. Conſil.
An. ſal. hum.

De-

Deſerte Lapis,
Vbi tua, mea vbi Conſtantia eſt?
Viridis iuuentæ
Flos ſuaue purpureus elanguit,
Periit venuſtas oris,
Pulchri ſpecies corporis emarcuit:
Nec hæret cineri
Clari lux adulta generis;
Nam pudor ingenuus,
Religio Conſtans,
Matronalis comitas,
Prudenſq; & inexpleta cura ſobolis,
Compoſitæq; decora alta mentis,
Quæ animo adhuc inſident;
Te nec ſenſere, nec ſentiunt.
Te ego non deſeram deſerte Lapis,
Abs te
Conſtantiam vetuſtam de Simeonibus
Conſtanter requiram:
Donec extincto extinctus,
Addar cineri cinis.
Iam nunc
Hanc habe ab tuo viro vrnam,
Has lacrimas.
Obiit an. ſal. hum. CIↃIↃCXXXIII.

Iſabella Mendozia Alarconia
Iacet hic;
Haud iacet tamen
Matronalium chorus Virtutum:
Fidæ viuenti, morienti fidæ
Verecunda ſpecies,
Grauis Comitas,
Sancta Religio,
Parcus nec vlli infenſus ſermo,
Pudor coniugalis,
Pia liberalitas,
Obſequens moderationi cupiditas,
Cœli cupidus Amor:
Quæ
Famam inuectæ triumphantes,
Cineri accubant ſopitæ:
Donec
Rediuiuum rurſus conſocient animo,
Supraq; alta ſidera
Sublimi ſiſtant folio.
Obiit an.æt. LXXIV. ſal. hum. CIↃIↃCXXXIII.

Fe-

Felix Ianuarius
E Patrum Curia Equeſtris ordinis Portus,
Sagatus,togatuſq; miles
Ad vtramque Iani frontem expeditus,
Fortuna maior ſua
XXXX. an. in magiſtratu curuli
Iudex,Conſil. Conſiliar.Decanus,Proprææſidens,
In Brutijs Præſes, Capuæ Præfectus,
Audiendis aſſiduus,
Definiendis
Accuratus,nec vnquam ſerus litibus
Ad arcana admiſſus Imperij
Status Regni Conſiliarius.
Ab an. æt. XX. Ad an. vſque LXXII.
Philippo II. III. IV. Regg.
Reiq; publicæ commodus,
Sibi,ſuis, Patriæ ornamento;
Obijt Kal. Decembris.
An. ſal. hum. CIↃIↃCXXXII.

Alfonſo Sanfelici
Auitam
Camilli Regii Conſiliarii
In Deum,in Patrem pietatem,
In omnes æquitatem
Æmulato,
Vitæq; immortali an. VI. & XX. reddito.
Filio Cariſſ.
Io. Franciſcus Reg. Conſiliar.
Viro Concordiſſ.
Multæq; ſed tenellulæ ſecum prolis Parenti
Laura Cicinella
Teſtem amoris,teſtem doloris
Vrnam P.

Nice-

Nicephorus
Byzantinis ab Cæſaribus,
Theodori Meliſeni,& Commeni,
Magni in Oriente Dynaſtæ,
Qui
Victricibus Io. Auſtriaci excitus armis
XXV. mille peditum,equitum ter mille
Bellum aduerſus Turcas,
Auſpiciis ſuis ſuſtinuit biennio,
Speratoq; fruſtratus auxilio
Probata ſuis fide,virtute hoſtibus,
Benignitatem Philip. regis Hiſpan: II.
Expertus Neapoli
Non ante animis,quam vita cecidit:
Filius
Pares ferens, referenſq; ſpiritus ſtudio diſpari
Humanæ,diuinæq; præſidio doctrinæ,
Et Græcæ munimento linguæ
Inſignis.
A Paulo V.
Miſſus in Orientem,
Ad rem Chriſtianã propugnandã,prouehendã
Egregia inter facinora
Conſtantinopolitanũ Patriarcã diu contumacẽ
Ad Romani reuocauit obſequium Pontificis;
Quod ob eius meritum,
A Paulo V.
Epiſcopus renuntiatur Naxenſis:
Amplo titulo
Exiguo publicæ, priuatæq; rei emolumento;
Hinc.
A Gregorio XV.
Inter Latinos recenſitus Epiſcopos
Madrithii à Philip. Reg. Hiſp. II.
Verbis,muneribuſq; acceptus ampliſſimis,

Co-

Cotronenſi inſignitus Epiſcopatu
Maiorem ſe
Magno probauit munere,
Vita functus,
An. æt. ſal. hum. CIϽIϽCXXXIII.

Vincentius de Franchis
S. C. Præſidens,& Regens à latere
Amplitudine,atq; acie mentis
Mentem omnis æui Iuriſperitor:
Ipſiſſimumq; complexus ſenſum Iuris;
Aduerſus mortalitatem
Immortali Deciſionum Monumento tutus;
Æuo functus an. æt. LXX.
Non tam cinis illatus in tumulum;
Quam viua lex elatus ad Prætorium
Reſponſa conſulentibus perpetuò reddit;
Cuiq; fuit pro tuba calamus,
Eſt,erit pro tumulo forenſis aula:
Monumentum hoc,
Non illius præconem gloriæ,ſui teſtem animi,
In Parentem Benemerentiſſ. P.
Iacobus de Franchis Reg. Conſil. Marchio Octauiani
An. ſal. hum. CIϽIϽCXXV.

Proſper Tuſus
Alto vir animo, & præſenti
Proſpera dum vixit vſus fortuna,
Et Marte ſecundo;
(Ah duri, & ineluctabilis vis ignea Lethi!)
Nutante, metuente congredi,
Fugiente etiam, & vulnerato
Raptus Vulcano eſt.
Pone enſem, Mars,
Et
Iura pone belli,
Formidoloſus regnat Vulcanus;
Nec vt olim, gladios conflat, aut haſtas;
Inſidias, ignemq; ſtruit fallacem:
Hoc mage metuendus, quò metuit magis.
Vixit ann.
Cecidis an. ſal. hum. CIϽIϽCXXXIV.

Vincentius Corcionus
S. Claræ Conſiliarius,
Regij Patrimonij Patronus,
Poſt Præſidens,
Conſtantis animi vir,
Regijs intentus rationibus,
Suarum negligens
Expilatores expilauit Fiſci
Magno ſui nominis odio,
Magno vitæ.
Obijt An. æt. L. ſal. hum. CIϽIϽCXXXIII.
Clarà poſt obitum fama.

Ma-

Marius Zuccarus
Eam profeſſus artem
Iu Vrbe,gymnaſioq; Neapolit:
Quæ vna Imperatoribus imperat.
Cæca per veſtigia humanæ inualetudinis,
Nec meticuloſus,nec audax,
Luem calamo,manu,oratione perſecutus,
Vt fatum quoq; poſt fata tremefaceret;
Hæredem ex aſſe ſcripſit
Xenodochium Inſanabilium,
Præſto futurus ope,quibus præſto non eſſet opera.
Obijt An. ſal. hum. CIƆIƆCXXXIV.

Gregorius Angulus
Togatus in vtraque Sicilia Miles,
Reg. Conſil. Neap.
Dux, Conſultorq; Proregis Panormi,
Regens deſignatus à latere Madrithij
Seueritatem magiſtratus
Oris,ac ſermonis amoenitate;
In Iure dicundo Conſtantiam,
Animiq; præſentiam
Æquitate:
Poteſtatem faſcium
Nec fallacis,nec verſipellis
Humanitate condiuit ingenij
Cuius etiam morũ,conſuetudiniſq; dulcedine
Delinita Mors
Rei coagmentatam publicæ
Senſim demolita vitam,
Senſum doloris,
Publicamq; teſtata calamitatem eſt.
Obiit Panormi an. ætatis LIV.
Sal. hum. CIƆIƆCXXXIV.

Gaſpari Siſcaro
Ab Franciſco
Præclari germinis ſtipite,
Qui
Alfonſum Aragoneum
Valentia ſecutus in Italiam,
Eius,
Et
Ferdinandi Regis auſpiciis,
Se, gentemq; inſigniuit ſuam
Neapoli:
Domi, foriſq; Vir
Rebellantes
Iterum, iterumq; coercuit;
Brutios
XL. rexit annos Prorex
Æquitatem iure, otium tutatus armis:
Ab Comitibus item Aielli Franciſci Poſteris,
Auitis belli, paciſq; artibus inclyto,
Æquata Maiorum
Diſpari fortuna Virtute
Viro Vnanimi
Dianora Manſoria P.
Obiit an. ſal. hum. CIↃIↃCXXX.

Anto-

Antonium
Ex Comitibus Morconi
Caraſam,
Marchionem Curati
Nihil humile in vita molitum
Alta tegit humus
Excelſo ſublimis cinere;
Vtq; magna audenti,
Tentanti magna animo
Obſecuta Virtus,
Nec refragata Fortuna eſt;
Sic Pontificij,Regijq;
Confluxere in ſinum faſces,
Magnus Regni Admiratus,
Pecuariorum in Daunia Manceps,
Protonot. Apoſtolicus,
Apoſtolicæ Cameræ Clericus;
Præclaram his, alijſq; muneribus vitam
Clarior clauſit obitus.
Inſtituto hærede Xenodochio Virg. Annuntiatæ,
Legatis
Monti miſericordiæ mill. aureor. XXX.
Xenodochio Inſanabilium mill; aureor. XIV.
Egenis,quibus in anguſto res,
Aureis quotannis mille,
Cœnobio Virginum S. Hieronymi Vrbis Auerſæ
Annuo cenſu aureor. CCLXXX.
Cœtui Flaminum Curatenſ. aur. mille;
Piacularia ſacra
Pro ſe,pro ſuis quotidie IV. & XX.
Amiciſq; Cognatiſq; famuliſq;
Pro cuiuſque loco,ac numero,
Magna elatus commendatione
Benignitatis,officij,pietatis.
An. æt. ſal. hum.

Iſa-

Iſabellam
Ab Principibus Oſtilianenſium
Carafam
Raró
In ſumma pulchritudine
Honeſtatis exemplo,
Incomparabili
In flore iuuentæ
Pietate, ac prudentia,
Oris, animiq; ſui
Effingentem in vtero ſimulacrum
Verita
Ne quid ferret mortali indole maius
Inuida Mors,
Matremq; Prolemq:
Feracemq; vitæ è vita ſuſtulit vterum;
Patrem quoq; virumq;
Gemina exanimum orbitate
Mitius ſuſtuliſſet;
Sed diuturniori abiecit funeri,
Tumuloq; huic reſeruauit,
Quem amatæ, quamuis ignotæ proli;
Quem ſat notæ,
Non ſat defletæ coniugi
Extincto, quam viuo ſimilior
P.
Petrus de Martino Oppidi Dominus
An. ſal. hum. CIƆIƆCXXXIV.

Au-

Aurelia
Fabritij de Capua, &
Dorotheæ Spinellæ
Magnorum Altauillæ
Comitum filia,
Flaminij Vrſini Comitis Muri
Coniux;
Ne ſola Genetrix hic iaceat,
Hanc ſibi quoque vrnam
Poſ. A. D. M. D. C. XXX.

Philippus
Cardinalis Spinellus
Ex Ducibus Seminaræ,
Et Principibus Cariati,
Epiſcopus Auerſanus
Hoc in templo
Cum Germanis
Voti compos conditur.
An. ſal. hum. CIↃDCXVI.

BVSTVARIA FICTA.

Tumulus Parthenopes.

Eloquentiſſima Sirenum
Elegantia melior ingenij, quam vocis
Cantu ſuauiſſimo
Philtra propinauit Sapientiæ,
Vrbemq; Italiæ celeberrimam,
Aut abſe conditam, aut frequentia Ciuium auctam,
Certe diſciplinis eruditam,
Suo nomine,
Suo inſigniuit tumulo Parthenope.

Tumulus Veritatis.

Vixi,nec diu vixi,ſi tamen vixi,
Cara ante alias Innocentiæ ſoror,
Ore prolata Altiſſimi,
Auribuſq; illapſa primi Hominis:
Illæ mihi aures, & cunæ fuerunt,& tumulus;
Quæ ſtatim Dei Genitoris oblitæ,
Statim datæ legis immemores
Acherunthæo patuere mendacio,
Dataq; Colubro fides eſt,negata Deo;
Auctorq; humanæ Gentis
Vix dum genitus,falſus;
Non ante loquutus eſt,quam mentitus;
Iam quid mè vltra inter homines quæritis?
Quid thalamos ornatis, ac tumulos?
Nuſquam ſum,nulla ſum,
Nec viua in terris ſpiro,nec iaceo mortua.

Tu-

Tumulus Orbis terrarum.

Incanuit,tremit,nutat;
Inquè latus impulſa,inq; verticem
Iniquis incerta ponderibus
Concuſſa ſubſultat Tellus;
Arſere,ardentq; Montes,
Arſuroq; pyras inflammant Orbi,
Tædiſq; feralibus,atroq; parentant cinere;
Exaruit illapſum cæcis ſpecubus mare,
Summiſq; è montibus poſtrémo illacrimatum funeri
Lauit corpus,vultum obruit piæ parentis;
Incubuere pelago,agris incubuere Venti,
Viduatumq; claſſibus mare,
Viduatos arboribus deſolauere campos;
Tiſiphone,Megera,Alecto
Præſeminant iras,exacuunt odiis animos,
Mars furit impius,ſui Mars impotens,
Litatq; ſanguine manibus;
Vaſtæ defenſore Vrbes,
Vaſta milite ruunt ad interitum Regna,
Inq; ſuis ſepulta hiatibus,
Inq; ſuis condita viſceribus Tellus
Seſeq; ſuoſq; ſuo contumulat cinere Alumnos.

Tumulus Filij,
Quem Mater fame èneċta depaſta eſt.

Nefas factu,memoratu nefas,
Male creditum calamo,
Marmori turpius credidit
Tacendi impotens Fama;
Buſtuaria Mater
Hieroſolymis
Recens editum recondidit vtero natum;
Lacteolos mandens artus,
Trementes artus filij,
Agninaſq; lactes
Nec tabo,nec ſanie,
Purpureo lacte,
Lacteo mandit membra fluentia ſanguine,
Lactetq; quem lactare debuerat:
Sui diſcerpit lactes vteri infauſta Mater,
Inq; ſuum vertit ſanguinem ſanguinem ſuum;
Sua ſuis recludit viſcera viſceribus;
Dat,adimitq; vitam nato,
Auara vitæ,prodiga vitæ Mater;
Fxiguæ vſuram lucis
Infami repetit fœnore à filio Mater;
Infelices animæ,
Infelicibus damnatæ auſpiciis,
Ille matris reuiſere vterum,
Hæc viuus eſſe filij tumulus;
Crudelis Tumulus
Te dape turgentem impia
Suo reijcit gremio tellus,
Suo reiectat gurgite pontus,
Expellit aer,nec vorat ignis:
Ac ni faucibus corripiare Orci,
Nuſquam eris,

Iudas Iſcariotes
Apoſtatarum Antiſtes,
Idololatra auri,
Hoſtis aræ ob impenſam,
Chriſtum ſecutus ſpe rapaci,
Miraculis eius abuſurus ad quæſtum
Gratis beneficum vendidit
Paruo pretio ingenti flagitio;
Mox facti pertæſus,nec pœnitens,
Pietate impius
Scelus addit in ſcelus,
Reſte ſuſpenſus
Vlciſcitur,facitq; nefas
Cultæq; pondere crumenæ
Diſruptus,abreptuſq; ad Tartara
In complexu Auaritiæ
Magdalenam execratur,
Vnguentum,quod pia effuderit,
Doletq; & angitur,
Quod Cœlum,animumq; magiſtrumq;
Parricida ſordidus vili vendiderit:
An. ſal. hum. XXXIII.

Simon ille,Simon
Pater ille Hæreſum,Antideus ille
Carminibus potens, artibuſq; Lernæis
Non ille nequam fuit,nec fuit ſceleſtus,
Sed nequitia,& ſcelus;
Non ambitioſè ſuperbus,
Sed ſuperbè auarus;
Qui
Empyrium,emporium;
Cœli honores, venales fecerat,

Emptorem ſi reperiſſet;
Qua fruſtratus mercatura,
Præſtigiator improbus,
Fabulam Romæ daturus,
Non fabuloſus Icarus
Dorſo Laruarum ſublime elatus,
Retractuſq; iubente Petro
Verior confracto crure Vulcanus
Repere nequit, volare auſus implumis.

Martinus
Cognomento familiæ,
Ingluuie animi,
Rapacitate manuum
Ludderus;
Petulanti mendacio Lutherus:
Ingenio Seruus,
Genio Liber,
Genere Larua;
Hoc patri ſimilis, quod mendax, quod impius;
Hoc illo deterior,
Quod auaritia, non arrogantia cecidit
Cupiditate fruſtratus diripiendæ Religionis;
Protinus transfuga
E ganea, luſtriſq;
Ad conſanguineos raptus Lemures;
Hic hominis perſonam exuit.
Centauri cauete exuuium,
Prodigij huius domitor Anglus Hercules
Veneno cruentus impio
Extabuit.

Quo

Quo imprudens Viator?
Reſiſte, nares obſtrue.
Nonne Arrii ſentis graueolentia viſcera?
Nempe
Satellitem Furiæ cum repeterent ſuum,
Simulatorem pacis,
Concitorem turbarum,
Sectorem Religionis,
Auctorem impietatis,
Proſeminatorem ſeditionis,& fraudum,
Sat male olitura Tartara ratæ,
Si cloacam admitterent,
Mentis improbæ,verſipellis,impiæ;
Flagitioſiſſimi vteri ſordes
In hanc deiecere ſentinam.
Vbi adhuc
Funeſto cœlum,terraſq; replent nidore;
Abſiſte Viator, abſiſte.

Patria profugus,
Proſcriptus Geneuæ
Finibus eiectus Galliæ, vita exul
Io:Caluinus
Marmore ſub hoc
Lydio examinatus lapide
Repertus eſt
Nullo certus nomine;
Qui
Cauuinum in Caluinum,
Caluinum in Alcuinum,
Inq; alia detorquens nomina,
Se nunquam,
Nomen ſæpe ſuum

In-

Infandis ſubtraxit ſceleribus:
Nulla fide,
Qui nec vnam, nec certam,
Nec puram putam fidem adſtruit:
Nulla Religione,
Qui omnium ſectas probat,
Vnum colit Atheiſmum;
Nulla lege,
Qui humanas, Reſtaurator Iuris antiquat,
Diuinas Ganeo ſpurcus deprauat:
Nulla doctrina,
Qui ex rabula repente Theologus
Diuinum Codicem
Arroganter reciſum
Arrogantiùs
Vertigine actus mentis
Interiore ſpiritu pro cuiuſque arbitratu
Interpretandum eſſe commentus
Vltrò dat,
Poſſe verum eſſe vero contrarium;
Merito literas execratus, quas didiciſſet
Veriùs quas non didiciſſet:
Nulla valetudine,
Qui fluxione, aſmate, phtyſi,
Hemorrhoide, pediculis,
Hemicrania, podagra vexatus,
Laruas inclamans, Laruas
In earum ſinum cum ſanguine vomuit animum;
Didicitq; recens hic Protagoras,
Quam non ſatis ſit ad ſalutem
Opinio præconcepta ſalutis.

Tumu-

Prædator ante iuguli, nunc animi;
Tui diſcerpe feros artus parentis,
Et Laris tui
Impij genitoris non impius vltor;
Hæc te vrna,
Hæc manent fata
Suſpendij fabricator iniquus,
Æquus ſupplicij

Sepulcrum Mahometis.

Quid me ſublimem quæritas?
Nulla me magnes attollit,
Humi iaceo, gaudentq; ſordibus cineres,
Semperq; magna mihi ſeges ex ſordibus,
Sordidis ex natalibus, impudentia;
Ex cœno morbi comitialis, obſeruantia;
Ex inceſto heræ thalamo, opulentia;
Ex hericidio, connubium;
Ex conſanguinicidio, audacia;
Ex læſa maieſtate, imperium;
Ex polluta Religione, veneratio;
Ex multiplici ſimul coniugio, clientela;
Ex omnigena Venere, obſequium,
Ex mendacio, auctoritas,
Ex Apoſtaſia, Apotheoſis,
Ex corrupto Moſis codice, Alcoranum;
Ex ſacrilega conſuetudine Sergij, & Bayræ,
Opinio Cæleſtis conſortij,
Ex negata Chriſti diuinitate, pietas,
Et ſi volueram, latria:
Sed prohibui, ne turpius ſordeſcerem,
Iam ne ſcrutare cetera,
Ne, & ipſe ſordeſcas.

Foetus in vtero Matris.

Quid hoc? viuus viuo fertur tumulo Foetus,
Nec locum mutat illuc delatus,& illuc,
In gremioq; ſepultus vitæ vitam auſpicatur à tumulo,
Incertus
An mortem in vtero fugat Vitæ,
An in vtero Mortis vitam?
O illætabilis hominum Vita!
Gnara nunquam,nunquam ignara fati,
O vitæ feretrum, ò vehiculum mortis Homo?
Effare,
An ab vtero translatus ad tumulum
Vita viuas in tranſitu?
An vitam in ſinu feras Mortis
E tumulo translatus ad tumulum?

Tumulus Templi Hieroſolymitani.

Procul o,procul o
Suſpende ſtiuam Arator,
Ne proſcinde ignotum æquor,
Aruo ſub hoc ſancta latent Sanctorum,
Foeta olim Deo,præſenti fœta numine ſancta,
Tecta illuſa auro,
Diuini conſcia oraculi adyta,
Sepoſitus arcæ thalamus,
Illa inclyti iuga ſnmma Templi,
Secreta Deo,
Summo ſecreta Pontifici Penetralia,
Maiorum gentium cuſtodita Cælitibus,
Infandi ſupplicio Deicidij
Oppugnante ſcelere

Roma-

Romano iacent diruta ariete.
Apageſis,
Ne inuerte glebas, verte alio tauros,
Aduolue huc ſaxum ingens,
Saxoq; inſcribe:
Summi ſumma pœna ſceleris
Dilecta Deo, ſepulta hic ara eſt,
Sanctum colito, & abito.

Bacchantis Veſeui tumulus.

Sol ſiſte,
Funeribuſq; illacruma ſordidatus meis,
Vixi diu Campaniæ potens,
Felicis agri infelix dominus,
Vino, lacte, pomis, frugibus
Pellexi Accolas,
Vrbeſq; & Oppida
Heu quoties genui, heu quoties obrui
Ruinis incumbens meis?
Fallor, an fallo
Viridi amictus paludamento
Inferno intus igne, Inferno lacu torreo;
Subinde æſtuo, ebullio, exundo,
Viſceribuſq; meis mea viſcera condo,
Semper infelix, nunquam infidus,
Totus ante tremo, totus horreo,
Fremituq; rugituq; vlulatuq;
Fumoq; & flammis,
Et
Proiectu lapidum
Ab imminente arceo eluuione ignis;
Nunc etiam pius,

Qui ſubiectis multorum aris,
Ampliſſimæq; Vrbi adiacenti
Sparſo leuiter cinere
Iubente Deo peperci;
Quin
Et infandæ conflagrationis reus,
Ambuſto,ſucciſoq; vertice
Illatis diei tenebris,
Fumante immenſum buſto,
Ipſe mihi tæda,ipſe mihi ſum tumulus,
Teſtare hæc luridus
Vijq; X. Cal. Ian. an. CIϽIϽCXXXI.
Nigra ſugilla ferrugine Sol.

Semuſtæ Porticus buſtum.

Efferor
Buſtum iterum,iterumq; buſtum
Vigeſimum elata per funus
Veteris Sapientiæ Porticus;
Quamquam o!
Fui olim, fui
Theatrum Palladis,æmula Syrenum Porticus;
Dudum iam ſaxoſis obruta eluuionibus,
Porticuum
Inanis area ſum,inane nomen;
Nec in me,quæ nulla ſum,
In nomen bacchatur meum
Ignes fluentes,fluuios flammantes
Fumantibus eiectans faucibus Veſeuus:
Ab nefas prohibete,Superi,
Memeq; eripite mediam flammis;
Pars altera miſeranda vel hoſti,

Igni-

Ignibus correpta præpetibus,
Exta ardentia montis
Inſanientis euiſcerati montis
Extis commixta ſuis
In mare præcipitat cadauer,& feretrum,

Obruti eluuione Veſuuiana Herculani tumulus.

Græci Turris Herculis
Sepulta hic ſum;
An
Nec ſum,nec fui,
Sed fuiſſe me falſo memorant;
Quando
Nec vbi ſim,nec vbi fuerim ſat reperire eſt.
Illa ego,ſi vnquam fui,
Victore genita Hercule,
Ioue inclyta ſalutari,
Altrice ferax Cybele,
Alluenti dilecta ora Neptuno;
Sæuo inuiſa Plutoni,
Raptam non ſatis vlto Proſerpinam;
Inuiſa furenti ob cædem nati Vulcano,
Odio genitoris
Acheruntæo non ſemel igne pereo;
Phoenix rurſum,rurſumq; cinis
Funeribus fæcunda meis:
Fuerim,non fuerim fabula,non fabula,
Ignibus merſa colliquatis,
Aquis exuſta flammantibus,
Proſtrata,nec territa malo

Eo-

Eodem,quo Proſerpina fato;
Stygia rurſus emergam palude victrix
Inuicti Turris Herculis,

Tumulus Horæ,qua arſit,inceditq; Campos Veſeuus.

Ignaræ funeris,
Viciſſitudinis ignaræ,
Perpetuo nitidæ ſole, dieque vernante,
Æternitas, Æuiternitaſq; Cæleſtum
Aſpicite nos,hoc tantum,
Noſtramq; miſereſcite cladem immunes:
Vos huc lugubres,vos adeſte funereæ
Sontium animorum,mentiumq; furialium
Odioſæ nobis,luctificæ vobis Æuitates;
Tu quoque ſiſte gradum,ſi potes,
Aut ingemiſce præteruolans
Irrequieti motus inquies menſura,Tempus:
Siſte tecum
Nunquam ſtantia,quieſcentia nunquam
Irreparabilis vteri pignora,
Inferna luſtra,tenebricoſos annos,
Menſeſq; nocteſq; horaſq;
Horarumq; partes medias,tertias,quartas,
Quartarumq; momenta, momentorum atomos,
Atomorum fallentia ſenſum, & ſine nomine fruſtula,
Horam ſepulcro condimus
Poſtremo editam partu noctis horriſonæ,
Æqua interſecantis lance Decembrem:
Heu quantum illa ſtragis,quantum portendit exitij,
Cum ſummo Veſeui iugo

Si-

Signum extulit ærumnarum
Fumifera inuoluens nube diemq; cælumq;
Illa catenatas ſoluit,emiſitq; Orco peſtes,
Illa feros poſt ſe attraxit dies;
Primumq; ſupra CIϽIϽCXXX. male clauſit annum;
Aſperior reſerauit inſequentem
Diſcordem bellis,
Foecundum ſceleribus, ægrum languoribus,
Et nunc pari inchoat omine tertium,
Adhuc terram commouet,
Adhuc eiectat,glomeratq; fumum,
Nec dira ſolum facta, ficta recoquet,
Fabulas,fabulas in vera damna torquet,
Iam rapidus flammis,
Veſeui deuolutus vertice
Phlegeton,
Obuia euertit aqueus,vſſit igneus;
Iam Promethæi
Famoſa furti Pandora
Recluſit pyxidem,
Sparſitq; lethiferum virus;
Iam dentes ſeuit colubri,
Ferratoſq; armauit hoſtes;
Iam iamq; truculentiores experiri molitur fabulas
Dædalas;
Ineluctabilemq; Antheum,
Semiferumq; Cacum,
Multicipitemq; Hydram,
Tergeminumq; Geryona,
Tyſiphoneſq; Megæraſq; Diraſq;
Extimulat,vrget;
Mandemus tumulo,& nouiſſima verba dicamus,
Forſan,& huic oneri tellus ima dehiſcat,
Corripietq; te ſuis Cocytus vndis,
Suis Tartarus flammis:

Illo

Illo te Hora peſſima, illo cremamus igne,
Illo ſpargimus amne,
Tartareiſq; deuouemus vmbris:
Æternum vale,
Quid impia, vale?
Æternum morere, non reditura morere;
Nec morere tamen, innaſcere mortua pœnis:
Ilicet, ilicet
Te ſemper adunco pertundat roſtro Vultur,
Inq; vices rabido frangat dente Chymæra,
Inq; vices trifauci voret ore Cerberus,
Immortali dedita letho
Viue ſemper, dum ſemper inuita,
Dum pertæſa vitæ mortem ſemper appetas,
Et voti ſemper irrita, peius mortua viuas.

Leucopetra ab Veſeui conflagratione Immunis.

Reuixi.
Detonuit, deſæuit Veſeuus,
Inenarrabili cum furit malo ſæuus;
Nec me
Crebo concuſſa motu
Tellus hauſit,
Nec tetrum inter fumum
Flamma vibrans attigit,
Nec gurges igneus
Ab tergo, à fronte, ab latere
Inſidiatus inuaſit,
Nec
Quod trepidatum eſt,
Vltima terris nox incubuit,

Nec

Nec vultum cinis ater obduxit;
Metu,non inficior,cohorrui;
Sanguine,quin etiam ad præcordia refugo
Expallui,incanui,dirigui;
Nemo tamen me tumulo condat,
Nec tumulo carmen imponat,
Sum ,quæ fueram Leucopetra
Durior etiam, & candidior.

Lunæ defectus,ac tumulus:

Aſtrum,an vna Mortalium
In hoc lucis,noctiſq; confinio
Viuere nec poſſum , nec poſſum non viuere;
Vix nata mortalium fato denaſcor ,
Iam iamq; denata viciſſitudine renaſcor immortali ;
Cunæ mihi tumulus eſt , tumulus mihi cunæ ,
Ortum inter,& inter occaſum
Non fabuloſa Phoenix;
Diſcite Mortales vices ex me,
Sed veſtras ſine vice vices
Nec vitæ , nec æuo,fortunis nec fidite veſtris.

Tumulus Bucephali.

Curſu pernix,
Saltu leuis, inceſſu placidus,
Flexu mollis, cataphractus acer,
Corpore ingens, ingentior animo,
Plauſu, non ſtimulo actus,
Niſi ſtimulo actus gloriæ,
Sonitu excitus tubæ,
Hinnitu, fremitu, tantum non verbo poſcens pugnam,
Inter ſtrepitum, fulgoremq; armorum audentior,
Suiq; vitæq; præ vita Regis negligens,
Sparſoq; ferocior ſanguine,
Vt nullum præter Alexandrum ſeſſorem paſſus,
Sic nullum præter ſe
Conſcendere equum paſſus Alexander.
Hero maiores homine,
Maiores equo ſibi quæſiuit honores;
Tumuloq; vaſtior, & vrna,
Tota conditur vrbe,
Taurina fronte, taurino inſignis armo
Bucephalus;
Hoc commendatus marmore Poſteris
Vector Alexandri, fortunæq; vector equeſtris
Bucephalus,
Quo extincto
Pedeſtri propè confectus prælio Alexander eſt;
Vrbi nomen,
Sepulcro frequentiam,
Cineri vitam
Peperit ſepultus.

Alexander
Excelſi impetu animi,
Fulminea gladij vi,
Suaui maieſtate oris,
Regij habitudine corporis,
Appetitu gloriæ,
Famulatu fortunæ,
Delectu copiarum,
Celebritate nominis,
Cupidine imperij non vno exhaurienda mundo,
Nulli Ducum ſecundus:
Domita Aſia ad vltimos vſque Sicambros,
Tot victorijs,quot prælijs;
Africæq; Europæq; collatis per Legatos faſcibus,
Ad clauum vocatus orbis terræ,
Militum victus lacrimis
Patrium ad ſolum reuocantibus,
Velut vincendo, imperitandoq; defatigatus;
Properatum ad vniuerſi apicem imperij curſũ
Babylone intercipit:
Statimq; auerſata mollem in Duce Fortuna animum,
Conuerſa ad Romanos eſt;
Quod
Non inter hoſtes,enſeſq;
Inter epulas,laticeſq;
Appetentiſſimus gloriæ Dux,
Medicato à ſuis ſublatus veneno,
Sero nimis intellexit
Non tam hoſtem eſſe,qui ſe hoſtem profitetur
Quam qui ſe falſo profitetur Amicum.

P. Cornelij Scipionis Africani Tumulus.

Ne iraſcere in patriam, Hoſpes,
Quod mè ſine pompa, ſine imaginibus elatum
Linterni, non Romæ ſepultum vides;
Sic res ſunt Hominum,
Quibus inſigniter benefeceris,
Rependunt pro mercede odium;
Sic in Republica
Egregia præ ceteris virtus
Egregia premitur inuidia;
Mihi
Pro ſeruata patria,
Pro defenſa libertate,
Pro victo Hannibale,
Pro capta Africa,
Pro aucto Imperio
Diem dixere Tribuni:
Ceſſi inuidiæ, huc conceſſi,
Contemptione celebrior, quam contentione,
Maioremq; mihi gloriam
Neglecta peperit Roma,
Quam obſeſſa Coriolano.

Niſus & Eurialus
Iacent hic.

Vrna tegit vna duos, an duæ vnum?
Quos vnus iunxit Amor,
Vna fouit Fides,
Vnus belli ardor,
Egregij facinoris alea vna,
Vna extulit ſocietas gloriæ;
Quos nulla ſeiunxit acies ferri,
Nulla Fati neceſſitas;
Tu ne rere duos;
Iunge vrnam vrnæ, cinerem cineri,
Tum ſic inſcribe,
Vnus habet tumulus,
Quos habuit Vitæ vnus Amor, Mors abſtulit vna.

Male cupidi cordis tumulus.

Luce caſſum priuata, caſſum publica,
Tenebricoſo abſtruſum ſpecu,
Largienda, non fruenda damnatum vſura lucis
Vitæ ſepultus auctor
Sepulcrum in ſepulcro quæro:
Latera, quæ muniunt;
Coſtæ, quæ obeunt;
Oſſa, quæ protegunt;
Membranæ, quæ ambiunt;
Crates thoracis,
Propugnaculum, mammæ,
Ambages, inuolucra, latebræ,
Non vrnæ partes explent.
Hic vbi nulla vice quietis,

Anci-

Ancipiti tremulum motu,
Viuentis mundi vigil,
Altilis operoſus artifex ſanguinis,
Nunquam intermiſſo partu,
Melioris genitor prolis,
Gemini ex officina vteri,
Sufficio, deriuoque fugientis retinacula vitæ;
Condor hic, nec tamen hic tumulor;
Neque hic ſum, vbi lateo;
Ibi ſum, vbi hæreo, vbi amo,
Amor meus, vrna mea.
Seu ſit illa Venus, ſeu Pluto, ſeu Faſces, ſeu Infulæ;
Illic inſcribe,
Iugis fons aliis, vni ſibi aridus,
Vitam corpori,
Sibi ſupplicia molitur vitæ
Male cupidi Cor hominis.

Bene cupidi cordis tumulus.

Nullius reum criminis,
Cœco abditum carcere,
Triplici obſeſſum vallo,
Perpetuo abditum operi,
Feretri opifex mei
Viuo deferor tumulo
In exortu ſepultum,
Inq; ſepulcro vegetum:
Nulla mole, nulla preſſum ſarcina
Rex, rectorque vitæ,
Arbiter mei,
Praui, rectique ſequeſter;
In interiore aula, medioq; in centro pectoris

La-

Labantis molior præſidia æui,
Meiq; potens, cæliq; terræq; potens,
Orbe ſuper paruo,
Magno ſuper euehor orbe,
Aſtra ſuper, ac ſolem,
Vnde opes, faſceſq;
Et quidquid vbiq; eſt illecebrarum
Deſpicor;
Me meq; fineſque tranſgreſſus meos,
Lucem ſuſpicio inacceſſam;
Pelagoq; immerſum felicitatis æternæ,
Ah quas, ah quales delibo delicias!
Expleorque, ac ſitio
Cupienſq; haurienſq; vſque, & vſque inhians
Mihimet immorior
Cupiditatem beatum mea:
Illo dignum carmine
Sibi ſat, ſat Deo
Nec iacet hic, nec iacet vſquam
Cor bene cupidum.

Tumulus Cupidinis.

Hem, hem ne moue lapidem;
Ne ſcrutare doloſum cinerem;
Cæcus latet ignis,
Populator ille pubeſcentis æui,
Robuſti,& cadentis populator æui ignis,
Pupus ille pharetratus
Victores prædatus Heroas,
Ingentium triumphator nominum Pupus
Adductis languorem ſimulat alis:
Poſitis hic
Mortem ſimulat
Spiculis;
Iacet extincto ſimilis
Obductus frontem tænia;
Ne crede Vafro,
Viuit viuente te,
Nec te ſeneſcente conſeneſcit,
Aridam validiùs comprehendit materiam
Fauilla latens;
Oculatum cæcum caue,
Ne te acri contuitu exoculet;
Neque hunc tumulum rere,
Cauea eſt,pedica eſt:
Si me audis
Inſalutato cape fugam buſto.

Regis

Regis Apum parentalia.

Sublatum fato Regem,
In medio acceptum agmine
Luctuoſo conſeſſu,
Conſpectu mutuo,mutuis querimonijs,
Mutoq; gemunt eloquio Apes;
Datum cælitus,
Non ſuffragio lectum Regem,
Non inertem,non ferum,
Pacis bonum,belliq; Rectorem,
Sine enſe,ſine parma,
Sine cohorte Prætoria
Paucis ſtipatum ſubmouenda plebe lictoribus,
Popularium beneuolentia,
Suaq; maieſtate armatum,
Exemplo,non edicto rexiſſe Populares,
Vigilem,æquumq; domi,
Strenuum,acremq; foris,
Circumeuntem opera,exhortanti ſimilem,
Partientemq; pro viribus onera.
Tutatum ab hoſtibus feroci Marte gregem.
Illatis
In Fucos,Crabrones,Culices, Veſpas, Muliones,
Fures alios explicata acie ſignis:
Has inter nenias
Sæuo more funerantium
Non cibos conuehunt,non capiunt,
Ignauo torpent dolore,
Optantq; vitam pro pietate paciſci
Regi immorituræ extincto;
Ni fors,aut ars aſpectu ſubtrahat Regem;
I nunc expers humanitatis,Homo,
Damna funereos luctus,
Sperne triſte miniſterium,iura ſperne ſepulcralia

Xx Ve-

Verum Mendacio trophæum.

Vici,debellaui,triumpho;
Nuſquam tuta fides,
Prima Hominum Parens mè flante intumuit,
Noxam perduellionis ex mè ſuſcepit,
Quà ego potens ſobole,
Omnium auribus,omnium animis impero,
Mihi Aulæ famulantur;
Mihi debent,
Quidquid poteſt Adulatio,
Quidquid molitur Ambitio,
Quidquid nocet obtrectatio
Mihi Arioli, mihi obſequuntur Genethliaci,
Qui tyaras,& ſceptra
Spondent omnibus,largiuntnr nemini;
Credo equidem,nec vana fides,mendax eſt mendacij hoſtis,
Omniumq; mendaciſſimi periuri ſunt,
Hos capio viuos,hos ante currum duco,
Hi mihi peperere trophæa;
Viden indutos Codicibus truncos,ſuffixas Cruces,
Affixa Diuorum nomina,ſpreta præ me Numina,
Ipſos præferre periuros,
Viden,aſſimulatum mihi,mihi faſces ſubmittere Verum,
Pugnabunt alii acrius,ego felicius,
Suis hoſtem conficio armis,hæ mihi ſunt artes;
Verum aſſimulatione veri extermino,
Creditè,Mortales,meo Numine
Nullum eſt hodie celebrius Numen.

In

In Maledicos.

Caſti,inceſti vorax guttur nominis,
Ore hiat famelicoſo,
Ventre tumet inani,
Linguis micat triſulcis,
Laniatq; ſi lambit,
Oſcula ſi libat,vulnerat;
Abſtruſa latentis ſenſa rimatur animi;
Agnita,ignorata perſtringit;
Nec tacenti mala mens parcit,
Nec rite loquenti malus animus
Falſa miſcet veris,falſis addit pondus,
Amicumq; mauult,quam dictum perdere,
Sepultos cribrat cineres,
Nec quieſcere ſinit Manes,
Auoſq; Proauoſq; lareſq; ſcrutatut penitos,
Summos,imos,medios
Carpit,confringit,vorat,
Semperq; hiat fame inexplebili,
Caſti,inceſti vorax guttur nominis.

In Ingratos.

Quid prima,quid poſtrema malorum
Furiale monſtrum,
Ingrati animi Peſtis,
Temeraſti cælum exulceraſti inferos,corrupiſti homines,
Quid adhuc terras peragras,Lethæo ebria flumine?
Ad accipiendum centimana, trunca manus ad rependendum,
Armaſti in Patres filios,
In Patriam Ciues,
In Deum Gigantes,
Suſtuliſti extincta gratia munificentiam,
Quid vltra riges quid incincta colubris
Præcordia ad intima vipeream inſpiras animã?
At,At,
Non ſat tibi obliterare animo beneficia,
Quæ donec extant,ac patent,tè cælo teſte arguunt;
Maior agit Furia
Pro beneuolentia odium,
Maleficentiam pro beneficentia reponis;
Viciſti,
Sat iam,ſat percrebuit
Malum ſibi creare,qui bene alijs fecerit;
Qui vnus,ac ſemper
Amorem Amore,
Et cumulatiore gratia rependit obſequium,
Quiq; idem præſtant homines,maiores homine reor.

Bu-

Buſtuarij Calami tumulus.

Molitorem tumulorum Calamum,
Alato functum æuo,
Vitæq; tumuliq; expertem
Nulla ſuſtollit pyramis,
Nullus premit lapis,
Nulla flet præfica,
Nullus humat Veſpillo,
Viua mens regit,
Viua ducit manus,
Sepultiq; cineris vindicem æui,
Perenniore, quam Phoenix fato,
Alienus reparat, fouetq; cinis

Eiuſdem rogus.

Quid adhuc ſolicitas manes
Sepulcralis Scarabeus,
Quid bifida petis cuſpide ſontes,
Inſontes bipalio condis, & reuntis cineres?
Semper extinctas hianti bibes ors fauillas?
Semper atro merſus lacu
Tetris irrorabis lacrimis papyrum,
Deſine mearum concors penne curarum;
Deſine ſi ſapis,
Ni ſapis
Obſtetrix mentis effœtæ manus,
Illa tibi dlu dux, & vrna manus,
Ne peccet ad extremum ridenda,
In flammas irata proiiciet,
Tuq; tuiq; ibitls in cineres tumuli.

Tumulus calami Authoris.

Index Heroum, Vindex æui,
Buſtuarius Vrſii calamus,
Arte ſublatus humo Dedalæa,
Viribus, ingenioq; impár,
Icaroq; infelicior,
Non æſtu reſolutus Solis,
Nec merſus Oceano,
Vrſijs nomina fecit aquis;
Sed deſtitutus aura,
Alta, & arida obrutus arena,
Satur, & ieiunus,
Atramento delibutus ſitit aquas;
Suffuſus lacrymis ſiccis aret oculis,
Promulgatorq; lucis luce caſſus,
Nullo commendatus lapide
Hæc ſignauit in littore;
Rapidis ludibria ventis,
Et elanguit An. æt. LXX.

Io. Baptiſta cognomento Vrſus
Dulcedine animi, vultus, eloquii Vrſo diſſimilis
Calamo etiam, nec horrido, nec aſpero,
Inter auſterum, lacteumq; medius,
Nec ſemper idem, nec vnquam alius,
Acri ſuauitate, facundia breui,
Si minus manes,
Nomina euocauit ab Inferis manium,
Extorreſq; lucis
Luce redonauit ætheria,
Iamq; adſtipulatus plurimis,
Hoc ſibi adſtipulatus carmine eſt.
An. æt. LXX. ſal. hum. MDCXXXVII.
FINIS.

In epiſt. Typogr. pag. 2. lin. 14. habes	Corrige.
Tanque informe	tamquam informe
In Indice. pag. 4. lin. 23. habes	
a fol. 139. de S. Niceto.	a fol. 133. de S. Niceto.
Pag. vlt. lin. 5. nulli nota-	nullis notatam.
lin. 15. acu angere	acu tangere.

In Opere

Pag.	lin.	Errata.	Correcta.
1	6	immortales; hominum animi.	Immortales Hominũ Animi.
	8	genitor	Genitor
2	1	Trophęa, columnæ	Trophæa, columnæ,
	9	Dedicationes ſub vno inſcriptionũ nomine nũcupata, quæ	Dedicationes, Inſcriptiones aliæ; quæ
5	penul.	madrithio	Madritio
8	18	uiator	Viator
	19	Domos	Domus
9	2	hoe	hoc
	18	oportunas	opportunas
	29	matitalibus	maritalibus
10	21	mancip.	mancipi,
	antep.	poſteri	Poſteri
11	7	Baliui,	Baliui, Syclæ,
	9	Latiore	latiore
13	18	ludrica	ludicra
	vlt.	III.	II.
14	16	agreſſi	aggreſſi
	19	Quamquam	Quamquam o
16	penul.	ſuaſu	motu,
18	3	Francifcus	Franciſcus
	penul.	ſenisbuſq;	ſenſibuſq;
21	9	orci uenęris	Orci Veneris
	11	humanos men tita uultus	moreſq;
	12	ferinis moribus.	Si minus nultum induta ferinos.
22	3	Ado pus	Adolphus
23	8	urbis	nobis
	20	ueſcuo,	Veſeuo,
	antep.	Tertareumq;	Tartareumq;
	penul.	lar	Lar,
25	1	Salmanticæ	DEDICATIONES TEMPLORVM, Statuarũ, Apparatus, & diei feſti. Salmanticæ.
	vlt.	III.	IIII.
26	1	leucopetræ	Leucopetræ
	5	Effoſo ueſæuo	Effuſo Veſeuo
28	penul.	Oppidi Dominus,	Dele
29	vlt.	IV.	VI.
30	16	ædes	ædis
31	2	indum	inditum
39	11	eius	eius præcipuo.
		Pietatis monumentum.	Dele.
	17	Societatis	Societas,
41	4	profani	Profani,
43	10	ↄCXXIV.	ↄXXIV.
45	11	Hæc ara,	Hæc ara eſt.
46	12	Prinicpis	Principis
	penul.	Petus	Petrus
48	8	Quiſquis es.	Dele.

Pag.	lin.	Errata.	Correcta.
	16	illabata	illibata
49	17	VII.	VIII.
50	vlt.	Triumphus.	Dele.
51	16	pueroq;	natoq;
	18	Immenſa	Immenſa hodie,
	20	Genitori	Piaculo
52	3	ſub caua	ſub hac
	20	H erebi	Erebi
54	9	Præſepe ſubi,	ſubi
	11	ſi quis ades	At tu,
	12	Cælum eſt.	Cælum puta;
	15	Religione	Religione Cælum,
	16	Deo,	auctum Deo;
60	8	Galatius	Galeatius
64	7	Reueritæ.	Reueritæ
	9	pp.	Dele.
	16	reſone:	reſonet,
	vlt.	pp.	dele.
65	13	Caprenſi	Carpenſi
	18	Lupenſis	Lupienſis
66	penul.	Lupientis	Lupienſis.
	vlt.	pp.	dele.
66	5	indicam	Indicam
67	9	puplice	pnblice
68	19	ferte	ferre
	22	propolandam	propalandam
70	1	Aqui a	Aquila,
	penul.	SIDIVS.	FIDIVS.
71	antep.	Lauum	Læuum
72	28	Pirma	Firma
	29	Victi ſupplices precamur	dele
73	19	Sirenum	Parthenopæum
74	17.	Leonoræ	Eleonoræ
75	25	Aenea. Prochyte	Aeneæ Prochyta.
77	1	Neapoli.	MONVMENTA Neapoli.
	13	nouam	nauium
82	20	Fruere & abi.	Fruere.
	vlt.	Dionora	Dianora
84	17	Annumq;	Aanuumq;.
85	26	Defixus.	Defixum.
	30	VI.	IV.
86	13	M.X.	M.
	27	ſtripis	ſtirpis
88	14	Alba	Albæ
89	6	quot	quota
	19	Sic effare lapis	Sic cũ Cænobitis cõuentũ, ſic effare lãpis.
91	21	ſterelitate	ſterilitate
93	13	Ferdidinando	Ferdinando
99	23	celeſtem	cæleſtem
100	3	Regium	Rhegium
101	22	lucem	luem
102	27	Suppellex	ſupellex
106	11	abſoluedum	abſoluendum
107	12	Aureolarum	Aureolanorum
109	18	compediarijs	compendiarijs
	antep.	etiam	etiam rideat
110	1	IV.	III.
112	antep.	ſummodicę	immodice
115	5	Sanctotum	Sanctorum
	8	IↄX	IↄCX
	24	Incendij ſemper immune.	ſemper illibatum,
	penul.	eccliui	accliui
116	penul.	Aeram	Aram
119	14	Zoſą	Roſa

procu-

Pag.	lin.	Errata.	Correcta.
	24	producrante	procuranto
120	9	Paptiſta	Baptiſta
	27	Caterinæ	Catarinæ
121	23	V.CC.	V.C.
123	29	inuentæ	iuuentæ
125	9	leſinæ	Leſinæ
127	3	Spinello	Spinelli
	15	ſequuta	ſecuta
128	24	quot	quota
131	1	Scipio Brãcatius	dele.
	vlt.	frugi.	frugi
133	1	De S. Niceto.	ELOGIA SACRA, vel Trophæa. De S. Niceto.
134	22	ſic tibi	ſic ſibi
137	26	Rebellatq;	Debellatq;
138	18	gorgonea	Gorgonea
141	16	heret heros he ret hoſtis	hæret Heros, hæret Hoſtis.
143	13	quina	Equina
147	penul.	Nec aciẽ timet gladij cer uice cæſa caſura numquam Fides.	Nec acie demetitur gladij Demeſſa ceruice Pietas.
149	5	famlia, ſolus:	familia, ſolus;
151	vlt.	Saxum hoc ve ſtros reuelat	Et veſtros vtinã mea Muſa reuelet
152	23	tubacanora Eloquij;	tuba canora eloquij;
	29	guttur hydri,	numeroſum malum Hydri.
153	13	Quã firma ſit quam potens conſociata Deo humana imbecillitas.	Dele hic.
	15	Vix adulta	Vix ab Adoleſcentia.
	18	Docuit	Notum fecit.
	25	Et quod	Notum fecit, Quam firma ſit, quam potẽs cõſociata Deo humana imbecillitas; Et quod
	32	Vitã ne in terris egerit cum Clodoueo	An vitam in terris egerit.
	34	Rege	Clodoueo Rege.
155	5	prægreſſus opes, adde	Oceanumq; ingreſſus Diuinitatis Veſificãte Deo Si minus exhauſit, ena uigare uiſus eſt;
157	15	renaſcẽtis Nõ tam	renaſcentis excubans Quæ non tam
158	vlt.	delegit.	delegit, cælum.
160	5	Præſto ſis	Age ſis, age ſodes
161	1	Tumulus SS.	BVSTVARIA SACRA elogijs miſta. Tumulus SS.
162	14	Non manis	Non inanis
163	9	Haraq;	haraq; Velut in immẽſæ aula diuinitatis.
	23	uigenti	uiginti
164	17	Perdúllionis	Perduellionis
166	17	imperi	imperij
167	11	Dinino	Diuino
	14	Partha	Parta
	21	lernæam	Lernæam
169	20	Sperno;	ſperno
	21	uulnere	uulnere;
174	9	quo ſplendidior,	quo pudentior, Famoſior, quo ſplendidior,

Pag.	lin.	Errata.	Correcta.
	10	Ac ipſo	Ab ipſo
176	11	Vaſtamq.	uaſtamq;
178	6	Mohometicæ	Mahometicæ
180	11	adoleſcentum	adoleſcentem
184	8	IXXX	LXXX
	19	quot	quota
187	20	Iabe,	labe
188	7	cruentus	ſui cruentus
192	16	Occurant	Occurrant
193	7	Ephebu	Ephebum
	18	Benouelentia	Beneuolentia
195	1	Parentalia	dele.
200	7	ſimulantibus	ſimnlantibus
201	29	in polterum	inpoſterum
202	21	collucanda	collocanda
207	27	mæritiſſimæ	meritiſſimæ
208	10	Deſenſa	Defenſa
210	21	Sati	Fati
	25	ceſpite	ceſpite
	penul.	E mortali	E martiali
211	5	Vt	Et.
	6	repubeſcas	repubeſcis
	13	patce	parce
215	1	Henrici	BVSTVARIA VERA. Henrici.
221	vlt.	P.	dele.
224	5	Matius de Vipera	dele.
	9	Arhcidiaconus	Archidiaconus
	19	Epidaurus	Epidautius
225	3	ſolubriter	ſalubriter
226	9	cæſare	Cæſare
229	8	pueros:	pueros Egreſſus forma, formoſior animo.
	13	maiorum, quem	Maiorum Sublatus oculis an. æt. xv. Haud animo ſublatus Aulæ eſt, Ingemiſcentis adhuc Succiſum ſibi florem Aulicorum; Quem
232	8	Fanſces	Fauces
234	20	martisq;	Martisq;
235	8	Nou	Non
251	25	Prothonotarij	Protonotarij
254	antep.	elatam	elatum
256	10	Quibus.	Quibus
	19	ægrũ, ſuperũ, miſerum,	Aegrum, Superùm, Miſerum.
266	13	Cænobitatum. IV. Præſes.	Cænobitarum quartum Præſes;
	22	Aramq;	Aeramq;
275	10	Veſpeſiano	Veſpaſiano
277	23	Valle balnei	Vallebalnei
278	8	Eruditoq;	Erudito,
	21	ſuperat	ſuperaret
279	24	An.]	An. Sal. MDCXXXVII. æt.
292	26	melitenſis	Melitenſis
	27	Demenſis	Demerſis
297	3	Filic	Filio,
308	20	ætatis. parce.	ætatis parce.
	21	fnnctus	functus
309	4	pnrpureus	purpureus
314	17	cecidis	cecidit
320	17	ſuerunt	fuerunt
323	22	Fxiguæ	Exiguæ
324	4	impeuſam	impenſam
332	antep.	Ab	Ah
343	16	cupiditatem	Cupiditate

His ſimilia præter Orthographiæ leges, in quibus abundè peccatum eſt, corriget prudens Lector.

I.VIII
E
A
A01147582

Digitized by Google